DE CANTUS

IN

ÆSCHYLEIS TRAGŒDIIS

DISTRIBUTIONE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

F. MAURY

In Facultate litterarum Aquensi colloquiis præpositus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1891

DE CANTUS

— IN —

ÆSCHYLEIS TRAGŒDIIS

DISTRIBUTIONE

COLUMBARIIS

Ex typis PAULI BRODARD.

DE CANTUS

IN

ÆSCHYLEIS TRAGŒDIIS

DISTRIBUTIONE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

F. MAURY

In Facultate litterarum Aquensi colloquiis præpositus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1891

ERUDITISSIMIS VIRIS

A. COUAT

ACADEMIÆ BURDIGALENSIS RECTORI

P. DECHARME

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI

Hoc opusculum
grati reverentisque animi pignus dicatum volui

F. M.

DE CANTUS
IN ÆSCHYLEIS TRAGŒDIIS
DISTRIBUTIONE

PROŒMIUM

Hoc mihi proposui quænam esset Æschylei chori inter canendum saltandumque divisio accurate explorare. Quæ quidem indagatio ad illustranda artis dramaticæ primordia multum valet; sed, cum Æschylus eam choricorum rationem sibi instituerit, a qua mirum quantum postea tragœdi desciverint, quæstio mea proprie in ejus tragœdiis continetur. Cujus mancas esse editiones deplorandum est, et nil nisi obscura et falsa legentium animos subire, quando choreutis universis sæpissime tribuantur quæ fortasse paucis vel singulis sint restituenda. Hac autem de re disputabo poetam nostrum non ferme choro solido usum esse, et, licet melicis constanter titulus χορὸς inscribatur, hoc sub nomine quasi comprehensivæ personæ partes latere, quas in unaquaque fabula statuere conabor.

Nemo enim infitias ibit quin lyrica in primis arduum fuerit canere, quia ad tibiam canerentur, et maximo dedecori verteretur actori, si quis a recta litterarum modulatione vel leviter aberrasset. Quæ difficultas ut major esset accedebat quod pronuntiandi artificio hæc subjungebatur portio actionis quæ tota in motu erat. Namque per tragicas choreas effingendi erant sive affectus sive tragici eventus, omnia denique quæ fabula aut

agebat aut narrabat, ut ait Aristoteles [1] : καὶ γὰρ οὗτοι (οἱ ὀρχησταὶ) διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμοῦνται καὶ ἤθη καὶ πάθη καὶ πράξεις. Nec minimi momenti fuisse hanc animorum et rerum per saltatorios modos descriptionem confitendum, quoniam de se ipso Phrynichus prædicavit, quod innumera et egregia in ἐμμελείᾳ commentus esset :

σχήματα δ'ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ'ἐνὶ πόντῳ
χύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή [2].

Quod ipsum, ut in majus auctum fuerit, sicuti vatibus nonnullis mos est translationum venustati magis quam veritati interdum studentibus, tamen non confictum omnino est, cum ipse Æschylus, si Aristophani creditur, impensiorem curam in exornanda tragica saltatione impertiverit. Legitur enim apud Athenæum [3] :

Ἀριστοφάνης γοῦν... ποιεῖ αὐτὸν Αἰσχύλον λέγοντα·
Τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν.

In informandisque actoribus tantopere noster eminuit ut quidam ex ejus saltatoribus, Telestes nomine, vix credibile sit quam mimica arte præpolluerit, teste iterum Athenæo [4] : Τέλεσις δὲ ἢ Τελέστης, ὁ ὀρχηστοδιδάσκαλος, πολλὰ ἐξεύρηκε σχήματα ἄκρως ταῖς χερσὶ τὰ λεγόμενα δεικνυούσαις; et rursus [5] : Ἀριστοκλῆς γοῦν φησιν ὅτι Τελέστης, ὁ Αἰσχύλου ὀρχηστής, οὕτως ἦν τεχνίτης, ὥστε ἐν τῷ ὀρχεῖσθαι τοὺς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας φανερὰ ποιῆσαι τὰ πράγματα δι'ὀρχήσεως. Quæ quidem omnia non ea caussa transcripsi ut ingeniosa Phrynichi, Æschyli et Telestis etiam inventa collaudarentur, sed ut magis in promptu foret quot negotia et moræ in choreutarum electione simul atque institutione inessent. Quapropter quis fateri dubitabit, siquidem unus Telestes longe fama ceteris præstitit in notitiamque pervenit utpote qui omnes tragicæ saltationis numeros expleverit, quin operosius fuerit duodecim choreutas ea docere quæ amplissimum nomen facerent, si quis eximie partibus suis fungeretur.

1. *Poet.*, cap. I, 27-28.
2. Vid. Bergk, *Poetæ lyrici græci*, Lip., 1853, p. 957, XXX, 3.
3. I, 21, F.
4. *Ibidem.*
5. *Ibid.*, I, 22, A.

In Æschyleis potissimum tragœdiis res videtur propterea immanis fuisse molimenti quod choricæ saltationis ratio multiplex erat. Nulla apud nostrum reperiuntur melica (præter quædam in Prometheo brevissima), quæ ad triplicis tantummodo formæ, strophæ, antistrophæ scilicet et epodi, exemplar sint tota descripta (μέλος κατὰ τρίαδα). Sed binæ semper similes strophæ inter se ordine colligantur, et unumquodque par natura et specie sua insignitur, ita ut omnia dissimilia sint, velut in Agamemnonis parodo (v. 104-257) [1], ubi septem systemata continuantur amplitudine et metrorum disparitate inter se discrepantia. Et multæ operæ præterea saltatorum munus vel inde fiebat quia rem lyricam egregie Æschylus solet distinguere, et sensus animorumque motus in uno eodemque chorico vulgo mutantur. Mœrore enim gaudia truduntur, temere etiam fiducia afflictatioque commiscentur, adeo ut non exigui laboris sit per vocem, gestum, ambulationem, totius corporis habitum ista diversissima efferre. Stasima deinceps singula proprio quodam metro utuntur. Rhythmi insuper non natura quidem verum alacritas in eodem carmine flectitur; ubi insuper numeri simili modo temperantur et uno impetu defluunt, ibi quoque metrica materies τονῇ, longarum syllabarum solutione et pedibus ἀλόγοις frequentius variatur. Itaque, etiamsi unum choricum peragere optime possunt duodeni choreutæ, num et actitare iidem universi decem chorica poterunt, et hæc quidem sive modicis sive amplissimis rhythmorum commutationibus discriminata, ut in Supplicibus? Cui moli persona quæque, propter recitationis gesticulationisque difficultatem, sæpe impar sit, chorus scilicet eam sustinebit, cum cantus et saltatio accedant? in iis præsertim fabulis ubi melica sermones copia exæquent? Fatendum est igitur, quamvis non hebetis ingenii Athenienses essent, turbam ex duodecim actoribus concretam ad perarduum istud officium obeundum fuisse invalidam, quoniam, in tanta versuum lyricorum expressione et figuratione, nemo ex orchestra non multo majus toleraret onus quam quilibet e scena histrionum, quorum paucos omni tempore inventos esse constat cunctis partibus absolutos. Fac etiam choreutas omnes ad canenda saltandaque tot melica non se præbuisse inhabiles, qui possint scenæ spectacula non importuna fieri, si fabulæ pars dimidia ab duodenis simul viris agatur?

1. Semel moneo me Teubneriana Weilii editione (1884) in dinumerandis versibus uti.

Poetas Græcos tam nihil urbanum sapuisse, et res scenicas adeo ignorasse ut unius cantilenæ fastidium eludere non conarentur, vix adducar ut credam. Immo chori universitatem fuisse non raro divisam veri est simile, unde partes et particulæ etiam exsisterent, ut melica melicis referrentur, contraria contrariis opponerentur, ex sonorum diversitate interdum concordia prodiret, et major vocum concentus fieret.

Ceterum, quamvis officium virile, ut ait Horatius, chorus defendat, et sexu, ætate, moribus dissentiat alius ab alio, tamen singulis hominibus, ex quibus colligitur, licet interdum quæ sentiant aut excogitent in medium proferre. Quæ quidem viritim expressa ab iis quæ gregatim significantur non sane abhorrent, sed ea oritur varietas quæ totius personæ simplicitati non repugnet. Est igitur cum scindi chorum aut recolligi videmus. Thebanas mulieres conspicimus singulas in orchestram irruentes et vicibus trepidationem suam declarantes, dum hostes ad mœnia adpropinquant, increbescuntque obsidionis mala (78-107). Quid quod ipsæ in hemichoria discedunt, ut interfectorum principum cadavera lacrymis complorationibusque prosequantur, et dextera sinistraque exeant (1066-78)? Videntur etiam Argivi senes consilium inire et viritim censere utrum in ædes regias irrumpant subsidium Agamemnoni laturi, an in orchestra se contineant (1346-71). Postremo Eumenides in tragœdiæ initiis semet e somno vicissim excitant (140 sqq.), et, postquam Orestes in judicium adducitur, reum separatim interrogant (585-608). De his profecto chori divisionibus dubitatio tollitur, cum sæpius notulis scholiastarum prodantur, et merito ex ipsa rei scenicæ exploratione conjici possint, et Pollucis etiam verbis significentur :

ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ' ἕνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον [1].

Præter id constat a Callia scriptum esse librum qui τραγῳδία γραμματικὴ inscriberetur, et in quo, cum jam Sophocles Euripidesque a veterum arte et doctrina digressi chorum individuum crebro usurparent, suaderet ut, prout res peteret, choreutæ disjungerentur, disjunctisque dispertita carmina assignarentur [2]. Quamvis igitur modica eademque obscura testimonia trade-

1. Poll., *Onom.*, IV, 108.
2. Apud Athen., X, p. 453 sqq.

rentur, constitutum fuit ab hominibus criticis eo accuratius ex antiquitatis senticetis verum eruere quod, etiam citra scholiorum indicia, liqueret exhortationes, interrogationes, responsa, omnia denique quæ in sermocinandi consuetudine versentur, non posse a turba loquentium vel declamantium eleganter proficisci [1]. Visa sunt cum paucula veterum tradita frustula tum ipsa recentium conjectanea latius patere, et ansam præbere ratiocinationi qua altius fabularum actio introspiceretur. Itaque, ineunte sæculo nostro, subtilius judicium eruditissimi Germani in explorandas Græcorum tragœdias contulerunt, carmina pensitantes si qua essent a partibus chori cantata. Primusque God. Hermannus viam monstravit. Postquam enim senum in Agamemnone deliberantium versus 1343-1371, aut Eumenidum v. 144-154 et 255-75, aut Thebanæ fabulæ v. 78 sqq. excussit, hoc statuit esse nonnunquam cum chorus scinderetur, et stœchi (στοῖχοι) vel zyga (ζυγὰ) deinceps, aut hemichoria, postremo singuli etiam choreutæ canerent. Posteaque conjecturam suam in edendis Æschyli operibus secutus est. Istud præcipue argumentis confirmavit systemata ἐξ ὁμοίων quæ dicantur, non nisi raro ad totum chorum pertinere [2]. Mox vero, eximio præeunte duce, multi per eadem vestigia incesserunt: Boeckhius primum ostendit in diverbiis « non omnes collocutos esse una voce, sed solos duces [3] »; Thyrwittius auctor fuit in sermonibus chorum verba fecisse per coryphæum, neque unquam nisi cantu locutum esse [4]. Jam supervacuum erit numerare quot editores in Hermanni disciplinam abierint, præsertim postquam Lehrsius hanc artis tragicæ legem statuerit, rem melicam semper a minimis ordiri, et ab singulari voce usque ad concentum totius chori sensim attolli solere; et cum præterea secundum Engerum Christius docuerit in tres partes posse distrahi Aristophanis epirrhemata, in sex vero Acharneorum Equitumque parabaticos versus [5], semperque cantandi vices ad ambulantis saltantisve chori membra accommodari [6]. Namque Bambergerus, Droysenius, Kirchhoffius, Ritschelius, Wellauerus, Lachmannus, Muffius, Conradtius, Wec-

1. Vide, ante omnia, *Pers.*, v. 140 sqq.; *Choeph.*, v. 719 sqq.; etc.
2. « Omnino systemata quæ sunt ἐξ ὁμοίων, ut vocant grammatici, non universi chori sed singularum personarum esse, diligens tragicorum comicorumque lectio docere poterit. » (G. Hermann, *Elem. doctr. metr.*, p. 729.)
3. *De Græc. trag. princ.*, p. 59.
4. Arist., *Poet. comment.*, p. 153.
5. *Abhandl. der Kgl. bair. Akad. der Wiss.*, München, 1877, p. 8.
6. *Metrik*, § 735 et 736.

klinius, Keckius, multique alii quorum nomina operaque commemorabo, quoties hujusce opusculi ordo postulabit, segregatim Æschyleas fabulas evolverunt, propriam quisque de interpretando choricorum cantu doctrinam laturi. Vix ex illa præstanti caterva secesserunt Westphalius [1] et Heimsoethius [2] : cum vero unus nullum aliud censurarum suarum subsidium repererit, quam experiri extrema adulterinosque profiteri Agam. v. 1343-71., quibus stabiliter innititur Hermanni conjectura; cumque alter vel coryphæi munus sustulerit, exsulare jubeo commenta quæ nemini placuisse videntur.

Ego vero quæ tot rerum Æschylearum indagatores invenerunt nonnulla, qui meus erat in poetam nostrum amor, jam antea suspicatus eram quam ex illorum doctrinis certissima quæque libavissem. Nunc igitur pristina mea quæsita retractare cupio. Non quin locupletissimos auctores acriore mentis acumine omnique genere humanitatis exsuperare insolenter velim; sed, quando criticorum plerique aut rem Æschyli scenicam turbaverunt, aut, rationem suam instituente æmulo quodam, statim contra niti festinaverunt simplicia pro falsis habentes, hoc mihi sumo ut, accitis aliunde subsidiis, meum tamen judicium promam, simul et non unam tantummodo aut alteram, sicuti assueverunt critici, verum omnes Æschyli fabulas singillatim summatimque perspiciam.

1. *Prolegomena zu Æschylus Tragödien*, Leipzig, 1869.
2. *Beiträge zur richtigen Lectüre der griechischen Dramen*; *Vom Vortrage des Chores*, Bonn, 1841.

CAPUT I

PERSÆ

A Persis exordior; quam fabulam, quamvis sæpius inquisitum sit an Supplices ætate consecuta fuerit necne[1], tamen priorem esse multa multique docent [2]. Præterquam enim lyrica ita patent in longitudinem ut partem totius dimidiam efficiant, interponuntur istæ ab ipso Æschylo repertæ ῥήσεις ἀγγελικαί, quæ homericorum carminum speciem aliquam referunt [3]. Tripartita quoque accedit structura, unde velut tres actus exoriuntur, tresque deinceps variæ personæ inducuntur, quæ, quanquam ad amplificandam rem scenicam vim habent, paululum de narrantium et orantium potius quam colloquentium segnitia retinent, et aliquantum moræ frigorisque, ut in tragœdiæ initiis, adferunt.

Missa igitur ampliore controversia, venio nunc ad parodi anapæstos. Non alium fere præter Heimsoethium [4] nominaverim qui istos universo choro ab eam caussam relinquat, quod duci chori pondus et auctoritas desint. Plerique hosce coryphæo vindicant, quippe omnia anapæstica hypermetra recitare solito [5]; atque ita

1. Vid. Bücheler, *Rhein. Mus.*, 40, 629; — Wilamowitz, *Hermes*, 21, 608. Vetustate præstare Supplices auctores fuerunt G. Hermannus et Bergkius.
2. Vid. Teuffel, *Pers.*, 3e aufl., 1886, Einl., p. 36; — Conradt, *Pers.*, Einl., p. 16; — J. Oberdick, *Pers.*, ed. Berol., 1876, præf.; etc.
3. Cf. Ekker, *Dissert. de choro Æsch.*, p. 17.
4. *L. c.*, p. 38-39.
5. Vid. G. Hermann, *Zu Arist. A. poet.*, p. 139; — Bamberger, *De carminibus Æschyleis a partibus chori cantatis*, p. 9; — Wecklein, *Pers.*, ed. 1886, p. 43; — Muff, *De choro Persarum*, p. 16-17; — Westphal, *De re metr.*, II, 411; — Christ, *Metrik*, p. 285 sqq.; — Kruse, *Eumen. comment.*, p. 134.

prorsus existimo, quia aut nulla aut parum liquida reperiuntur vestigia, ex quibus firma pateat periodorum antistrophica symmetricaque conformatio [1]. Qui enim circa istud choricum laboraverunt minora majora kola invenerunt [2]. Ipse in componendis exæquandisque hisce commatibus multum laboris temporisque consumpsi; ipse diu sustuli, amplificavi et mutavi voces, lacunisque licenter conjectis, stœchos et zyga deinceps inter recitandum distinui. Sed vanissima hæc somnia puto expertus, principemque choreutarum in integram dignitatem restituo. Nam anapæstorum quæ pars prior est velut prœmium quoddam præbet aptissime cum re dramatica conjunctum, de quo dici potest : ἐνταῦθα ὁ χορὸς προλογίζει. Atqui prologus ille, ubi chorus de se narrat quis sit et unde venerit, haud injuria coryphæo tribuetur, quoniam præcipuum illius officium est in medium proferre quæ omnes sentiant, et qualia ad canentium universitatem proprie pertineant. Quæ autem pars posterior, cum non aliud sit quam Persicarum copiarum index, aliquid Iliaci carminis servans, longe abest ut multifariam a pluribus ordine pronuntiari possit. Coryphæum igitur unum statuemus, concinente tibicine, recitantem, quamvis a Columella traditum sit fuisse interdum cum vel a plurimis anapæsti canerentur [3]. Metra enim uno tenore æquabilique lapsu decurrentia ad multarum vocum concinentiam accommodari absonum est [4]; nominaque propria, quorum appellatio distinctissima sit oportet, a duodenis simul clamari molestissimum. Quapropter a comicorum in primisque ab Aristophanis consuetudine non abscedendum esse opinor, quem, ceteroquin Æschylea reperta sequentem, in plerisque parodis singularem cantum prætulisse prope constat [5].

1. Longe aliter judicat NIEBERDING, *De anap. apud Æsch. et Soph. ratione antisystematica*, p. 7.

2. Weilius (*Pers.*, ed. 1867) sic schema constituit : 7. 8, 6, 8, 4; 8, 8, 10. 6; quem sequitur Stippelius (*Zur antistrophischen Responsion der anapæstischen Hypermetra bei Aischylos*). Conradtius itidem novem systemata agnoscit (*Die Abtheilung lyrischer Verse in griechischen Drama*, Berlin, 1879, p. 112-113) : 7; — 8, 5, 8, 5; — 8, 8, 10; — 6. Klotzius autem (*De numero anapæstico quæstiones metricæ*, p. 37) duodecim kola statuere conatur :

5 1/2,	4.	3 1/2.	3 1/2.	2 1/2.	7.	4.	8.	8.	7.	2 1/2.	5 1/2
a	(b	c	c′	d	e	b′	f	f′	e′	d′)	a′

3. COL., XII, 2. — Cf. CHRIST, *Metrik*, p. 689.

4. Cf. O. MÜLLER, *Eum. comment.*, p. 88; — CHRIST, *Metrik*, § 758.

5. Vid. ARNOLDT, *Die Chorpartien bei Arist.*; — MUFF, *Uber den Vortrag der chorischen Partien bei Arist.*

Ceterum hypermetra nostra vel cursim inspicienti occurrit nusquam abrumpi sententiarum verborumque cohærentiam. Quî enim fieri queat ut, si quis Persicæ terræ luctum de jamdiu profecto exercitu squaloremque tetigerit (8-15), non enarret subtiliter quinam in Græciam irruperint, viri et populi (16-58), præsertim cum sæpius superioribus inferiora relativis pronominibus jungantur, velut οἵτε τὰ Σούσων.... (10) et οἷος Ἀμίστρης.... (21)? Jam v. 59-64, ubi rursus Persidis dolor usurpatur, nonne ad eamdem personam spectant cujus v. 8-15 fuerant? Quod si nunc carmen istud parodicum nullam lyrici poematis notam, sed potius narratiunculæ expressam similitudinem habet, non duodecim pronuntiatoribus sed uno narratore opus est, quem ideo choro præficiendum esse profecto nemo negabit [1].

Anapæstos sequitur (65-139) canticum primo ionicum, deinde trochaicum; quod quo modo canatur valde obscurum est, quia ordinem audacter turbaverunt plerique editores, et de rhythmica versuum 93-101 structura paulo adhuc ambigitur. Sunt enim qui verba δολόμητιν.... φυγεῖν de loco suo fuisse demota credant [2], et post quartam antistropham esse transferenda, quod in iis expromatur metus ne fati deorumque ira in Persarum opes, ut hominum, sæviat, quæ formido cum tristissimo carminis exitu congruat; in ultimo vero stropharum pari (102-113) iisdem Persicis rebus confideri putent, quæ fiducia ferocitati incipientis chorici optime consentiat. Verum v. 93-101 in sedem suam cum Engero [3], Conradtio [4], nonnullisque editoribus, in quorum sententiam ipse Weilius ivit [5], reducendos arbitror. Superquam enim quod media extremis misceri et antiquam scripturam subverti liberioris moris est, cavendum ne per licentiam et errorem poetam male intellexisse videamur. Totum carmen si attente perlegerimus, claris argumentis signisque lucebit v. 93-101 (δολόμητιν.... φυγεῖν)

1. De coryphæi usu vide Thiersch (*Pind.*, I, p. 143); — Ot. Müller (*Eum.*, p. 82), multosque alios, qui cetera coryphæo intemperanter abutuntur, eumque longe protagonista præstabiliorem efficiunt, si vel quam non facilem personam agat reputare velimus, vel quot iidemque diversissimi versus huic adscribantur.

2. O. Müller, *Rhein. Mus.*, 1837, p. 309. — Heimsoeth, *Die Wiederherstellung d. Dramen d. Æsch.*, p. 365 sqq. — Weil, *Æsch. Persæ*, Gissæ, 1867. — Muff, *De choro Persarum*, p. 21. — Westphal, *Prolegomena zu Æsch. Trag.*, p. 107 sqq.; etc.

3. *In indice pensorum gymn. Posniensis*, a. 1870.

4. *Die Abth....*, p. 63 sqq.; et *Æsch. Perser*, Einl., p. 11 et p. 136.

5. *Æsch. trag.*, Lipsiæ, 1884.

quasi gradum esse per quem ad v. 103-113 (θεόθεν.... μηχαναῖς) transeatur. Primum enim numen esse dicitur quod præstanti virorum populorumque fortunæ invideat; deinde eo infensioribus oculis superne rerum asiaticarum fastigium conspici, quod Persæ jamdiu hoc fatale habeant urbes in bellis gerendis eruere, et proxime res nauticas didicerint, unde, amplificata dominatione, mari æque ac terra reformidanda sit clades divinitus immissa. Quare nihil est cur cogitatorum stropharumque gradus confusos fuisse contendamus.

Quod vero ad v. 93-101 attinet, non mesodum efficere, sicut Muelleri fautoribus placuit, quibus addendi sunt Albertius [1], Wellauerus [2], Paleius [3], etc., sed antistrophicos esse cum Seidlero, Weilio, Wecklinioque pro certo ponamus.

Nunc igitur videamus quo pacto purgatum choricum canatur, omissis quæ diversissima viri critici opinati sunt. Ego vero magnum inter ionicos et trochæos interjectum intervallum puto, sive spectentur rhythmorum natura et numerorum ratio, sive etiam respiciatur quam severe eorum discrimen pro re et tempore servare poetæ consueverint [4]; et, quamvis qui priora metra cecinerint iidem possint eodem ordine ad cantanda cetera instrui, ista disjungenda censeo, et de ionicis primum disputabo. Qui quin senibus universis sint concedendi non est addubitandum. Itaque de hac parodi parte ordinanda Wecklinii Conradtiique opinionem meam facio; alia tamen novaque liceat mihi proferre argumenta quibus eorum fundetur sensus. Choreutarum concentus quærendus est, quod dedeceat non omnes regis patriæque robur laudibus attollere, et quid de exercitu optime sperent ante dictitare quam nuntietur gravissima belli offensio; quodque minime in rei tragicæ veritatem gravitatemque quadret communem Persarum de suis viribus confidentiam vel ob eam caussam uno ore concini, quo citior futura sit Persicarum opum jactura. Ea est præterea cantici compositio

1. *De Æsch. choro Supplicum,* p. 28.
2. *Æsch. trag.*, Leipzig; *Persæ.*
3. *The tragedies of Æschylus*, p. 188, London, 1879.
4. Hermannus (*Elem. doctr. metr.*, p. 429), v. 65-113 singulis choreutis, 114-139 universo choro postulat; Bambergerus (*l. c.*, p. 40) unumquemque ex septem quos statuit Persarum principibus deinceps canentem usque ad v. 139 inducit; Wecklinius (*Pers.*, ed. 1886, p. 46-48; — [Cf. Freericks, *De Æsch. Suppl. choro,* p. 33-34]) 65-113 toti choro, 114-139 vero hemichoriis tradit, ita tamen ut primum 114-124, alterum 125-139 cantet; Muffius (*l. c.*, p. 20) nil nisi hemichoria patitur, quorum primo stropha, secundo debetur antistropha; postremo Conradtius (*Pers.*, ed. 1888, p. 140) individuo choro utitur.

quæ cantatorum divisionem recuset. Est cum antistrophico ambitu non finitur sententia, sed in insequentia incedit, ut in v. 65-86, qui ad ornandam vim Xerxis bellicam spectant. Neque singulos aut partitos præterea choreutas velim, quoniam adeo ipsis particulis γὰρ, δὲ versus coagmentantur, ut, si personæ sejungantur, inchoatam ab una altera sententiam conficere debeat.

Sed alia probabiliore caussa adducor ut chorum solidum istic usurpem. Semel enim aut bis in unaquaque Æschyli fabula interponi choricum, sive parodum sive stasimum, quod canentium summam recipiat, infra demonstrabitur. Ejusmodi autem ista melica sunt quæ, etiamsi ad augendum scenæ secus conferunt, tamen, quæ est poetici fluminis copia liberiorque dicendi et fingendi ubertas, lyræ potius quam cothurno videntur fuisse aptata. Itaque in his semper tragœdiarum locis intexuntur ubi defervescit actio, remittiturque contentio animorum, et orchestræ vacat inquirere quo fatorum arbitrio, vel qua legum divinarum norma fors mortalium anteacta præsensque teneatur. Fac igitur v. 65-114 ab universis senibus non canantur, omnino nostræ fabulæ deerit istius modi choricum; nulla posthac stasima invenientur solidum chorum desiderantia, et nihil profuerit ad rem choricam amplificandam argumenti initia superasse. Postquam enim ingreditur nuntius, non jam senibus ad cantandi licentiam animus liber est, et sponte a præteritis annis humanaque sorte lasciviter observandis deterrentur.

Nunc de clausula carminis trochaica (114-139) cernamus, quam, post Arnoldtium auctorem, choro universo delegandam esse vadem habeo ipsam stropharum juncturam, quamvis mutatio rhythmorum fiat, quæ non nisi una cum personarum conversione intercidere soleat. Tam apte enim strophæ ε′ antistropha sua hæret ut alia ex aliis nectantur, et vox πέσῃ (124) a particula μὴ (118) pendeat. Itaque, si cantatores dividentur, fingendum erit quid prior in mente agitaverit jam alterum compertum habuisse, et alium alii quasi ex ore verba præripuisse. Ceterum qui consensus vocum in celebrandis Persarum armis et gloria fuerit, eum decet perstare ubi jam futuras incœpti belli ruinas ominentur. Wecklinii autem hemichoria propter stropharum indissociabilem unitatem ejicienda, et quia nusquam contraria contrariis opponuntur, et cantantium discidio discrepantiaque minime opus est, et ex ratione scenica nusquam apparet cur choreutæ sint dimidiandi in ordinemque digerendi.

V. 140-154, quanquam de periodorum mensura inter se metrici dissident [1], tamen non in dubitationem incidit quin coryphæum maneant [2], quoniam ipse socios hortatur ut Atossam simul omnes consalutent et compellent :

> καὶ προσφθόγγοις δὲ χρεὼν αὐτὴν
> πάντας μύθοισι προσαυδᾶν.

Quod unus non probavit Heimsoethius [3], spreto ipsius poetæ indicio, chorumque totum expostulavit; de cujus conjectura disputare supersedeo, quemadmodum de Teuffelii licentia taceo, qui v. 155-58 coryphæo adserit, quamvis ex Æschyli verbis, velut omnes fere critici consentiunt, ad chorum totum pertinere tetrametros pateat.

In colloquio quod Atossæ cum senibus est (173-248), quoties de orchestra verba fiunt, non septem Stanleianis choreutis, ut Welkerus, Droysenius et Bambergerus auctores sunt, sed duci chori, ut plurimi potius duxere, tribuenda puto. Ab multis enim somnia explicari interpretando, simul et consilia reginæ dari quibus infausta omina averruncet, absurdum. Choreutæ principis ista sunt, et unius excogitatione reperiuntur. Divinam mulierem a primario viro foveri et regi decet. Sermonis præterea reliqua ideo universis cantatoribus eripienda sunt quod, si quæ de Atheniensium viribus et virtute prædicentur omnes senes jam antea noverint, tam imprudenter incœptum fuisse bellum ultra fidem sit.

Jam de commo dicere adgredior qui, nuntiata clade, in ejulatus lamentaque erumpit (256-89). In quo haud leviter mihi videntur errasse cum Heimsoethius [4] et Wecklinius [5] universum chorum usurpantes, tum etiam Westphalius [6] qui non nisi coryphæo utitur. Namque in tanta omnium ruina unum tantummodo ingemiscere, cum ceteri sileant, et infantis artis et minutioris doloris est; omnium præterea consensione diverbium lyricum cantari a melicorum sermonum consuetudine abhorret, et a commaticorum

1. Vid. Weil, *Pers.*, ed. 1884; — Conradt, *Die Abth...*, p. 97-98 et p. 115; et *Æsch. Pers.*, Berlin, 1888; etc.
2. Cf. Wecklein, *Æsch. Pers.*, Leipzig, 1886; et *Fleck. Jahrb.* 3ⁿ *Suppl. b.*, p. 229; — Conradt, *Æsch. Pers.*, p. 140.
3. *Beiträge zur Richt. Lect...*, p. 8.
4. *L. c.*, p. 48.
5. *Æsch. Pers.*, 1886, p. 56.
6. *Metr.*, II, p. 516.

carminum natura, quæ certissimum est seu singulis seu paucissimis aptissima esse [1]. Itaque, ut mea opinio fert, in tres stœchos tria stropharum paria cadunt, velut ex v. 257-58 conjicere licet, ubi pars choreutarum alios nihilo minus quam in v. 140 adlocuti ad ploratum incitant. Tripartitum est insuper ipsa sententiarum varietate choricum, quoniam primo de patriæ calamitatibus et de longius provecta sua vita senes questus fundunt, deinde exhaustam militibus Asiam jactataque Ægæis fluctibus Persarum cadavera deflent, postremo Deorum Athenarumque iram, orbatasque suorum domos flebiliter in memoriam revocant. Quare non multum a vero aberit, si quis nuntio proximum senum ordinem, dextrostatas scilicet, in lacrimas gemitusque primum effundi putabit, posteaque alium ex alio, ita ut a scena sensim latius ad propinquos caveæ choreutas querelæ serpant orchestramque compleant. Quod ipsum carminis metrica structura significatur, cum manifestis gradibus adaugeatur stropharum circuitus [2], et æquum sit maximas canendi difficultates hisce præcipuis cantatoribus committi inter quos dux chori emineat, et qui ante spectatorum oculos propius versentur.

Sed, enarratá omni Salaminiacæ pugnæ clade, postquam diu silentium obtinuit orchestra, tandem coryphæus in deorum queribundas preces se demittit (515-16), et paulo post anapæstica hypermetra recitat, quibus clauditur secundum episodium, et ad primum stasimum quasi proluditur. Longius autem systema (532-47) chori principi, etsi quidam critici vetant [3], non choreutis universis, mandandum esse hoc evincit quod et anapæstos recitare quam maxime coryphæi est; et liberum tempus dari necesse est ut, relicta statione sua, choreutæ in stœchos digerantur [4]; et molestissimum sit, quæ jam depictæ fuerint, iterum a choro solido feminarum complorationes cubiliumque vacuitatem exprimi, et in anapæstis plus esse doloris quam in trochæis vel logaœdis, siquidem manifestum fiat insequens choricum a partibus choreutarum cantari.

Trifariam enim dividi v. 548-97 vel contextus rerum demons-

1. O. Richter, *Die altgriech. Tragödie*, p. 12.
2. Vid. Conradt, *Die Abth...*, p. 101; — J.-H. Heinrich Schmidt, *Die Eurhythmie in den Chorgesängen der Griechen*, p. 350-351.
3. Vid. Conradt, *Æsch. Pers.*, p. 144-145; — Wecklein, *Æsch. Pers.*, adn. ad v. 532-547; — Heimsoeth, *l. c.*, p. 39.
4. Cf. J.-H. Schmidt, *Antike Compositions-lehre*, p. 475.

trat. Primum stropharum par infaustam navium profectionem ingemit, et ex strage vix sospitem evasisse Xerxem, victori Dario perquam imparem; alterum, retractata quæ fuerat in v. 274-77 inchoata cladis imagine, volutatos dilaniatosque per Psyttaliæ maritima saxa Persas ante oculos ponit; postremo tertium quæ adversum certamen mala consecutura sint attingit, deminutam scilicet regiæ potestatis majestatem, sollicitatosque ad defectionem per publica opprobria imperii populos. Itaque et Westphalii conjecturam rejicio v. 548-83 hemichoriis, 584-97 vero universis choreutis tribuentis [1], et istorum qui a chorici principiis summa senum abutuntur [2]. Stœchis deinceps canendi munus defero, et sic quidem ut aristerostatæ, de quorum numero est coryphæus incœptæ comploratationis auctor, carmen ordiantur, cantusque ad vicinos scenæ dextrostatas manet. Qui quidem ordo ideo conjici potest quia incipientium stropharum ambitus amplior difficultasque operosior est, et, decrescente metrorum circuitu [3] sedatisque paululum mœstis interjectionibus, lenitur etiam rhythmorum vehementia, cum vis trochæorum minutatim per logaœdorum dulcedinem molliatur, ut par est jam ad colloquium, adveniente Atossa, paratos esse regni principes.

Exeunte vero regina, rursus anapæsti recitantur [4]. Quorum pars (623-27), sicut assolebat, abeuntem personam prosequitur [5], alii vero (628-32) choro præstituunt quamdiu moveatur in canticorum saltationumque sedem reversurus. Quos coryphæo permittendos esse, omissis quæ jam dictitavi, aliud argumentum trahitur : fastidio erunt quæ dicentur (639-40), si dii inferni ab iisdem invocabuntur quorum preces præauditæ fuerint. De carmine (633-80) quo excitatur umbra Darii, doctorum virorum plerique discordant quo pacto inter senes sit distribuendum. Sed ego [6], repudiatis

1. *Prol. zu Æsch. Trag.*, p. 185.
2. Conradt, *Pers.*, p. 144-145. — Heimsoeth, *l. c.*, p. 48; etc., etc.
3. Conradt, *Die Abth...*, p. 111. — J.-H. Schmidt, *Die Eurhythmie...*, p. 353-355.
4. De hisce hypermetris vide Stippl, *Zur antist...*, p. xiii.
5. Cf. Müller, *Eum.*, p. 87.
6. Septem Stanleianos choreutas deinceps canentes fingit Bambergerus (*l. c.*, p. 25); Muellerus strophas inter bis sex personas partitur, senisque epodum reservat (*Eum.*, p. 79); Albertius, despectis verborum commissuris et interpunctionibus, solutaque periodorum structura, bis septem reperit cantatores (*De Æschyli choro Supplicum*, p. 29, adn.); Conradtius de 652-662 tantummodo censet, priores quattuor versus sive coryphæo sive cuidam choreutarum parti credendos esse, choro vero ephymnium (*Æsch. Pers.*, p. 148);

aliorum conjecturis, Wecklinio accedo qui cantionis istius psychagogicæ tria stropharum paria optime vidit stœchis demandanda esse, choreutis autem universis ephymnia (656; 662) [1] et epodum [2]. Quæ mihi mirifice placent, quia choricum istud non multum abest a commo [3]; unum tantum adjicio de interjectione ἐή, quam ab omnibus senibus propter eam caussam conclamari decet quod primo stropharum pari nullum epiphonema adjicitur, secundo una tantum vocula, tertio totus versus, chorico vero amplior epodus adstruitur, ita ut gradatim attollatur concentus canentium, latiorque et tumultuosior ad inferos delabatur evocantium comploratio. Huc præterea addas velim ad aristerostatas pertinere cantici principia, velut amplitudine et gravitate præstantia et ephymniis carentia; medias contra strophas, tanquam minimas, ad leurostatas; extremas denique ad eos qui sint scenæ vicini, ut ultima eademque præsentiora senum verba manes Darii auribus propius excipiant.

Postquam vero umbra regis supra tumulum sublata eminuit, senibusque infra quidem proscenium sed in hyposcenii proximo adsistentes affata est, chorus in hemichoria divisus v. 694-96 et 700-702 canit. Quæ strophulæ, etsi rhythmica natura in ambiguo est [4], tamen, propter sententiarum similitudinem verborumque concinnitatem, quemadmodum coryphæi ita solidi chori munus recusant. Rectissimam autem esse meam conjecturam ea re confirmatur quia, quoties in nostro episodio interroganti Dario responsatur ab orchestra (787-800 et 843-4), verba pro choreutis universis fiunt et haud dubie coryphæi sunt, quem indeceat in lyricis simul versibus et in dialogo sine ulla intermissione unum audiri et præ ceteris eminere.

Jam vero, dum Atossa senibus mandat filio suo aliquid solatii levationisque adferant, rursus chorus in stœchos finditur tertium stasimum (852-906) cantaturus. Temere enim Muffio placuit he-

Westphalius hemichoria quidem constituit, sed male cohærentem stropharum contextum in pulverem redigit (*Prol. zu Æsch...*, p. 186); Christius solido choro utitur (*Metrik*, § 723); etc.

1. De hisce epiphonematibus vide Goebbel, *De Ephymn...*, p. 21-22.
2. *Fleck. Jahrb. 13ⁿ Suppl. band; Uber d. Technik und den Vortrag d. Chorg. des Æsch.* — Westphalius ipse epodum universo choro mandare conatus est (*Prol...*, p. 186).
3. Cf. O. Müller, *Hist. gr. litt.*, p. 320; et Paley, *The Tragedies of Æschylus*, p. 224, adn. ad v. 622.
4. Vid. Weil, *Æsch. Persæ*, Gissæ, 1867, p. 110; — Westphal, *Metrik*, II, p. 428 sqq.; — Conradt, *Die Abth...*, p. 72-73.

michoria statuere[1] : concinentiæ symmetriæque in carmine vestigia absunt et bipartitæ divisionis indicia nulla objiciuntur, et sententiarum seriem verborumque juncturam, ut in Str. et Ant. α′ et β′, continua ista canentium æquiparatio abrumpit; postremo ipsa rerum intempestivitas artem illam respuit unde elegantior exoriatur contrariorum responsio. Immo trifariam separatum esse choricum nostrum ex ipso argumento elucet. In primo enim stropharum pari summam felicitatem summamque bellorum claritudinem sibi a Dario regnante paratas fuisse senes commemorant; in secundo quas terra, in tertio quas mari urbes gentesque domuerit. Quocirca, si quis stœchos deinceps canentes inducet, cantumque modicis incrementis insurgentem a dextrostatis ad aristerostatas demandabit, quo melius ex singularibus præconiis regis prædicatio confletur, totaque in epodo ab universis choreutis cantata accrescat, is, me judice, a vero minime errabit.

Vix autem amplissimis laudibus Darius cumulatus est cum in scenam procedit Xerxes soliti comitatus expers, discissis vestibus, a pristinæ majorum suîque ipsius majestatis fastigio in malorum pudendæque fugæ deformitatem delapsus. Dein, quo magis rei scenicæ disparitas emineat, postquam pater de futura Persarum sorte deorum oracula deus ipse edidit magnificeque ad inferos evanuit, filius in scenam ingressus nil aliud agit nisi ut threnum luctuosissimum de amissis patriæ viribus et decore incipiat[2]. Itaque unus coryphæus non verecunde, ut solenne erat reges salutare, sed confidenter mœsta voce questibusque profugum lacessit anapæstos 918-21 pronuntians[3], dum interea chorus a statione sua digreditur. Statimque, quamdiu stœchi instruuntur, anapæsti lyrici (922-30) non a senibus universis, ut Albertio placuit[4], sed a coryphæo, concinente tibia, canuntur, sicuti conjecit Muffius[5], quoniam, ut demonstrabitur, in chori principem cadit proodicos ubique versus declamitare, et novem regis dimetris noveni quoque de orchestra cantati necesse est respondeant[6]; absonum sit denique ab universorum choreutarum concentu sta-

1. *L. c.*, p. 10.
2. Æque ac Antigone et Ismene, *Septem*, v. 861-1052.
3. Cf. Westphal, *Prol...*, p. 127 sqq.; — Muff, *De choro Persarum*, p. 10.
4. *L. c.*, p. 30.
5. *L. c.*, p. 9-10.
6. De hypermetrorum 908-930 responsione vide Conradt, *Die Abth...*, p. 80; — Stippl, *Zur antist...*, p. xiv.

tim ad singularem cantum delabi, quo jejunius omnium dolor ad extremum in tenuissimas lamentationes desinat.

Cur autem Droysenio, Muffioque in mentem venerit hemichoria instituere, versusque 931-1001 inter coryphæum et parastaten distribuere haud perspexisse fateor[1]. Non scinditur in studia contraria turba canentium, sicut in Septem (1043-78) aut in Supplicibus (1018-1062), neque jam in eo sunt choreutæ ut, derelicta orchestra, sejungantur dextra sinistraque scalas scenæ escensuri. Itemque carmen coloris unitate sententiarumque æquabilitate præstare non chori in duas partes diducti, unde cantus varietur, indicium est[2]; verum æquali imaginum querelarumque tenore choricum labi aptissime threnum decet, cujus proprium est iisdem mœroris vestigiis picturisque insistere. Unum præterea tum coryphæum tum parastaten tantummodo cantare a re præsenti abhorret : plane enim expresseque Xerxes plures ad fletus sollicitat (ἴετ᾽ αἰανῆ... 940 sqq.). Itaque strophica structura tripartitum carmen vel ex eo stœchis iterum mandemus oportet quod, quemadmodum supra ostendi, stropharum ambitus dilatetur prout a dextrostatis ad aristerostatas veniatur.

Jam vero ad v. 1003-1037 transgredimur, de quibus mirifica viri critici conjecerunt[3], minime tardi in excogitando. Quorum inventa singillatim exsequi non vacat : statimque in Muffii sententiam discedo, qui quo modo stropharum particulæ inter cantatores essent distribuendæ acutissime dijudicavit[4]. Subtiliter enim putavit, quod jam conjectaverat Westphalius[5], cum βεβᾶσιν, οἶ, νώνυμοι (1003), et ἰὼ ἰώ, δαιμόνων.... (1004-1006), tum præterea πεπλήγμεθ᾽· εὔδηλα γάρ (1009), et Ἰαόνων ναυβατᾶν..... (1011-1013) inter se necessitudine quadam teneri ita ut, qui semel verba suscepisset, is perficere cogeretur, et duo commata utrinque ad unam personam attinerent. Primum igitur stropharum par coryphæo parastatæque commisit, alterum vero, ubi decies chorus verba facit, decem reliquis choreutis mandavit; unde numerus choreutarum legitimus expleretur. Idem quoque

1. Conradtius justo subtilius modo singulis modo universis choreutis utitur (*Æsch. Perser*, p. 152).
2. Muff, *l. c.*, p. 9 sqq.
3. Vid. Arnoldt, *De Eurip. arte chorica*, p. 225; — Conradt, *Æsch. Perser*, p. 153, etc.
4. *De choro Persarum*, p. 9 sqq. — *De Soph. arte chorica*, p. 15.
5. *Prol...*, p. 184 sqq.

perbene intellexit verbis ἴυζ' ὁμοῦ τιθεὶς μέλος (1042) non universi chori concentum significari, sed regis cum compellato sene quoddam mœrendi consortium, proptereaque in v. 1038-1065 de choreutis deinceps canentibus et κατὰ ζυγὰ compositis cogitandum esse. Cui quidem opinioni omnino assentior : pauca tamen addere liceat quo clarius res scenica illustretur.

Postquam v. 931-1001 rex senesque canere desinunt, choreutæ in hemichoria consistunt, singillatimque, orchestra relicta, scenam inscendunt ut Xerxem deducant, comitantium caterva orbatum (γυμνός εἰμι προπομπῶν, 1036). Primus autem coryphæus a regis sinistra stat (1003-1006), confestimque parastates a dextra (1009-1013); deinde quini senes post et juxta coryphæum zyga bina instruunt (1015-1025), totidemque choreutæ in altera parte simillimum ordinem componunt (1026-1037), velut ex figuris infra delineatis videre est [1].

v. 931-1001

✱ θ'	✱ ι'	✱ ια'	✱ ιβ'
✱ ε'	✱ ς'	✱ ζ'	✱ η'
✱ α'	✿ β'	✿ γ'	✱ δ'

v. 1002-1037

vertuntur zyga ad scalas.

✱ θ'		✱ ι'					✱ ια'		✱ ιβ'
	✱ ε'		✱ ς'			✱ ζ'		✱ η'	
		✱ α'		✿ β'	✿ γ'		✱ δ'		

in scena senes comitaturi instruuntur.

✱ θ'	✱ ι'		✱ ια'	✱ ιβ'
✱ ε'	✱ ς'		✱ ζ'	✱ η'
✱ α'	✿ β'	Xerxes	✿ γ'	✱ δ'

Nunc vero quomodo v. 1038-1066 canantur facile apparet. Primo enim rex interioris sinistri zygi extremum choreutam, ι' scilicet, et tertio loco coryphæum plorare jubet et ædes petere (1038-35) ; rursus etiam proximum a dextra zygum et tertio quoque loco parastaten (1046-1053); postremo alternis exteriora

1. ✿ β' = coryphæus; ✿ γ' = parastates; ✱ = ceteri choreutæ.

zyga θ′, ε′, α′ (1054-1059), et ιϐ′, η′, δ′ (1060-1066). Chorus igitur quemadmodum in orchestram processerat ita scenam egreditur, in zyga instructus.

Ubi movetur intra ædes regem deducens, epodum quoque canit, sed corruptissimam istam fabulæ clausulam quamvis sanare Hermannus[1] Weilius[2], Teuffelius[3] in primisque nuper Conradtius[4] conati sint, conjecturis abstineo quæ pro meris nugis optimo jure duci possint[5].

1. *Æsch. Trag.*, 1859, II, p. 264-265.
2. *Æsch. Trag.*, *Persæ*, Gissiæ, 1867; et Lipsiæ, 1884.
3. *Æsch. Persæ*, 1875.
4. *Die Abth...*, p. 91-92; — et *Æsch. Perser*, p. 105.
5. De exodicis Æschyli carminibus vide Arnoldt, *De Eur. a. ch.*, p. 354 sqq.

CAPUT II

SUPPLICES

In veterrimis Æschyli fabulis reponendas esse Supplices omnes fere critici consentiunt. Sunt etiam qui Hermannum secuti antiquitate ceteris prægredi eas arbitrantur [1], quoniam argumenti ratio, propter personarum paucitatem, simplicior sit, et nusquam nisi cum uno actore coryphæus colloquatur, et chorus protagonistæ munus, ut ita dicam, obtineat, et barbaro dicendi horridoque modo interdum inquinetur. Sed ego hisce interpretibus [2] suffragor quibus abunde est si nostra tragœdia inter antiquissima artis tragicæ monumenta numeretur, et simul cum Persis eidem fere poetæ ætati assignetur. Artis enim politioris elegantiorisque vestigia præbere mihi videtur, facileque perducar ut putem vel ob lyricorum venustatem vel ob absolutiorem orationis facultatem gravitatemque opus istud græcarum litterarum ruinæ ereptum fuisse. Ceterum, cum hæc plane expediri non possint, omissis quæ obscuram conjectationem habeant, de iis malim disputare quæ diligenter fabulam perlegenti cuipiam in promptu sit enodare.

Quot quidem Danaidas chorus complectatur diu varieque dijudicatum est. Si credis Hermanno, « quattuordecim aut duodecim choreutas in Æschyli Supplicibus fuisse valde credibile est ». Schultzius sex virgines totidemque ancillas constituit [3]; Albertius

1. Vid. Bücheler, *Rhein. Mus.*, 40, 629; — Wilamowitz, *Hermes*, 21, 608; — Paley, *The tragedies of Æsch.*, *Suppl.*, p. 3.
2. Vid. Weil, *Æsch. Suppl.*, 1867, præfatio, IX; — Alberti, *De Æsch. choro Suppl.*, p. 45; — Wecklein, *Æsch. Perser*, 1886, Einleitung, p. 12; — Conradt, *Æsch. Perser*, 1888, Einleitung, adn. 27.
3. *N. Jahrbücher für class. Phil.*, 1857, p. 265.

quindecim conjicit, quia « omnia hujus fabulæ carmina excepto ultimo talia esse cognovimus, quæ aut quinas aut ternas strophas complectantur » [1]. Boeckhius octo heras, septem tantummodo famulas numerat [2]; postremo Bodius quinquaginta fingit Danaidas [3]. Sed ego qua ratione nunc ex quattuordecim nunc ex duodecim cantatoribus chorus constet, aut cum octo heris septem tantum famulæ componi queant, omnino non tenere confiteor. Quinquaginta autem virgines instrui, orchestramque turba canentium saltantiumque misceri a Græcorum consuetudine et rei scenicæ natura refugit, ut idoneum de quo quæratur non putem. Cur præterea Weilius, quæ est viri subtilitas, paululum dubitationis habuerit quindecimne an duodecim reciperet, non video. Nusquam enim duodenos choreutas excessise Æschylum pro certo habeo, et infra ex Orestiæ quoque exploratione patebit; itaque minime mirandum si poeta in prioribus informandis fabulis numero legitimo steterit, quippe qui, postquam chorum amplificaverit Sophocles, etiam tum traditum antiquitus morem destituere, et ad novissima eademque Atheniensibus acceptissima deerrare noluerit.

Nunc a quibus anapæstica parodus canatur operæ pretium est disquirere. Heimsoethius nullam aliam ob caussam chorum solidum postulat, nisi ut ad concentum vocum qui partem carminis logaœdicam (41-110) deceat, quasi de plano transeatur [4]. Quidam stœchorum opportunitatem conjectant [5], quorum sententiam stupeo. Fac enim non inusitatum esse choreutas inter ingrediendum κατὰ στοίχους disponi, quamvis proditum sit memoria solitos fuisse κατὰ ζυγὰ in orchestram incedere, quænam est certa hypermetrorum divisio, unde commentum istud stabiliatur? Weilius undecim hypermetra statuit callide quidem sed licentius digesta et a trigemino cantu omnino remota [6]: alii [7] novem pariter agnoscunt, sed periodorum laxitate dipodiarumque numero inter se diversissima. De mea partitione taceo, quam aliquantulum tem-

1. *L. c.*, p. 15.
2. *De gr. trag. princ.*, p. 60.
3. *Op.*, p. 313, § 4 sqq.
4. *Beitr...*, p. 39 et 43.
5. Vid. Lindner, *Annal. phil. a Jahnio* ed. an. 1827; — O. Müller, *Eum.*, p. 39; — Christ, *Uber d. Teilung des Chors*, in *Abhand. der Bair. Akad. d. Wiss.*, 1878, II, p. 184 sqq.
6. *Suppl.*, ed. 1867.
7. Vid. Dindorf, *Suppl.*, ed. 1873; — Klotz, *l. c.*, p. 36; — Kirchhoff, *Suppl.*, ed. 1880; — Stippl, *Zur antist...*, p. xiv.

poris ad zygorum cantum accommodaveram. Valeant istæ vanæ imagines legitimæque scripturæ conturbatio, quo facilius inter se ad amussim kola anapæstica respondeant! Non ea est istorum systematum ratio quæ apta compositione distingui possit, cum plerumque liberiore συναφείᾳ sint conjuncta, et κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους decurrant. Verum ἀπολελυμένους labi nunc uberiore nunc maligniore spiritu impulsos anapæstos consentaneum, et variis anfractibus implicari, prout res, sententiæ poscant. Repulsis igitur stœchis et zygis, quorum mera inutilitas propter hypermetrorum inæqualitatem occurrit, coryphæum usurpemus, sicut nonnulli interpretes subjecerunt [1], et Persarum exemplo conjectura firmatur, et vel ex versuum lectiuncula suppetit. Ita cohæret carmen nostrum ut mutari recitantis personam ineptissimum sit. Eidem enim quæ quorsum advenerint Danaides dixerit (1-11) enarrare convenit quo duce maria transnavigaverint (12-19). Reliquos autem dimetros (20-40) et particulis et sensorum commissuris et ipsa verborum structura quasi calce inter se ita conglutinari quis negabit, ut non nisi corporis dilapsione membra distrahi queant? Quare canentium diversitas repudianda, coryphæique recitatio servanda, quia in declamitando anapæstico prologo vocum consensus et auribus injucundior sit et a consuetudine alienissimus.

Sequitur choricum (41-175) quod sententiarum et rhythmorum natura ipsaque metrica fabrica in duas partes (41-110; 111-175) describendum esse significant [2]. Prior quidem inter dactylos logaœdosque leniter dilabens quos Io labores errabunda tulerit narrat, conjugisque Jovis involutam mentem describit, ad quem velut ad stirpis suæ auctorem virgines confugiunt, venturamque in procos pœnam divinitus irrogatam confidunt. Quod carmen si quis et strictim legerit, non fugiet epice lyriceque potius quam dramatice conscriptum fuisse. Namque et præterita memorat quæ aptissime ad fabulosæ antiquitatis miracula, longius autem ad rem tragicam pertinent, et in narratiunculis aut descriptiunculis moratur. Neque mirum ludere poetam in melicæ copiæ pompa explicanda, quandoquidem vix fabula cœpta sit agi, et in terram egressæ fugitivæ non nihil in Argivorum opibus tutelaque reponant. Prima tandem tranquillitas datur, omnia plena pacis sunt, et, compositis remissisque paulo timoribus, spatium est ad eden-

1. Vid. Tyrwhitt, *l. c.*, p. 153, in adn.; — Wecklein, *Fleck. Jahrb.*, 1883, 13ᵉ Supp. b., *Uber d. Technik....*
2. Cf. Alberti, *De Æsch. choro Supplicum*, p. 13.

dum canticum ubi, omissa rei choricæ ratione et divisione, silente scena, sibi lyricoque ingenio indulgeant. Properat igitur exundantis fluminis vis, nullo antistrophicorum intervallo tardata; per plena, per hiantia scalit, ab antistrophis in strophas incurrit, et metrica paria vel abrumpit vel ita continuat, solutæ orationis more, ut totum carmen intellectu careat, si quis cantatores partiatur. Itaque Hermanni [1], Krusii [2], Freericksii [3] et Goebbelii [4] hemichoria respuamus, quoniam rursus a communi sensu abest quæ unus secum agitare occeperit, ea ab altero ad verbum confici [5], solidumque chorum potissimum statuamus, quem ceteroquin oportet de stirpis primordiis futuraque omnium ultione canere.

Pars vero chorici posterior (111-175) longe superiori absimilis. Supplices enim missa faciunt quæ priscæ sunt memoriæ, et quo sint loco res suæ anxio animo circumspiciunt. Itaque, in incerto adhuc servantes quidnam consilii capturi sint dii, non jam quæ in poetica ficta quadrent quasi ludibundæ cantant, sed susceptas de se curas ipsa dolendi dulcedine exacuunt. Simul, intercedente rhythmorum permutatione, longarum syllabarum solutione numeri incenduntur et præcipitantur, dolores habent et flebile quiddam concipiunt quod rei tragicæ aptissime convenit. Multis igitur nominibus ut metrorum sic canentium disparitatem conjiciemus [6], et tria stropharum paria non hemichoriis, quæ est Hermanni [7] et Freericksii [8] opinatio, sed potius tribus stœchis Wecklinium [9] secuti assignabimus. Neque enim ea sunt hemichoria quæ temere ubilibet constituantur, et oculis incurrit ita in nostro carmine sententiarum et particularum quoque nexu partes religari ut quibus stropha iisdem et antistropha sit mandanda. Unum quodque stropharum par totum per se aliquid efficit, et, quamvis quæ a partibus chori dicantur in universos choreutas cadere possint [10], tamen veri est simillimum ternos virginum ordines alium

1. *Æsch. Trag., Supp.*, p. 6 sqq.
2. *Suppl.*, ed. Stralsund, 1861, adn. ad h. Vss.
3. *De Æsch. Supplicum choro,* p. 31.
4. *De ephymniorum apud Græcos et Romanos rationibus,* p. 28.
5. Vid. v. 41-56 et 57-67.
6. Cf. Bamberger, *l. c.*, p. 32.
7. *Æsch. Trag.*, II, p. 7-8.
8. *L. c.*, p. 33.
9. *Fleck. Jahrb.*, 13ⁿ Supp. b., p. 211 sqq.
10. V. 111-116 sic cum Engero et Hermanno lego : τοιαῦτα πάθεα μέλεα θρεομένα δ'ἐγὼ ζῶσα γόοις μὲ τιμῶ, ne, cum prioris carminis argumentum tangatur, solido quoque choro tribui videantur.

ab alio diversos habitum coloremque proprium singillatim servasse, et quæ fuerint ab uno excogitata ceteris etiam haud displicuisse. Nihil igitur habemus quare ipso stropharum et antistropharum numero proditum stœchorum cantum recusemus, quem præterea non semel in hocce libello ad id genus chorica pertinere monstrabitur.

Aliud tamen eo valet ut chorum inter canendum dividamus, ephymniorum scilicet ratio, quæ ultimis stropharum paribus subjiciuntur [1]. Haud immerito enim Æschyli videtur censuram egisse Euripides [2], quod ille sæpius formis carminum popularibus vulgatissimisque usus esset [3], et parum pensi habuisset epiphthegmaticos versus, etiam obstante rerum continuatione, superioribus adnectere. Unde patet ephymnia non eorumdem cantatorum esse quibus antecedentia attribuerentur. Quod si igitur a choreutis universis iterabantur, ut ex usu erat in epithalamiis, dithyrambis, pæanibus ceterisque carminibus quæ, non antistrophice composita, post singularem cujusdam cantum a canentium turba repetebantur [4], restat ut priora chori partibus [5], et potissimum, cum Wecklinio [6], stœchis demandemus.

Quoties chorus modo cum Danao modo cum rege colloquitur (204-346), trimetri coryphæi sunt [7]; namque et duodenas virgines una voce confabulantes inducere contra sermonum morem repugnat; singulas autem deinceps verba facere ab iis quæ significantur longissime disjunctum est, quando plerumque aut chorus de se communiter loquatur, aut omnes virgines gregatim compellentur [8].

Nunc fusius de 347-406 disputandum, quos in scena cantatos esse constat. Haud dubium est enim quin, postquam dixerit chorus θέλοιμ᾽ἂν ἤδη σοὶ πέλας θρόνους ἔχειν (208), simul ex orchestra discedat stetque juxta deorum signa in proscenio posita, donec rursus in orchestram descendere jubeatur (506 sqq.) [9]. Quæ

1. Canterum enim plerique editores sequuntur, qui 162-166 post 166-175 repetendos esse intellexit.
2. Apud ARISTOPH., *Ran.*, 1273-1274.
3. Cf. GOEBBEL, *De ephymniorum apud Græcos et Romanos rationibus*, p. 1-6.
4. De ephymniis vide CHRIST, *Metrik*, § 718.
5. *Ibid.*, § 626.
6. *Fleck. Jahrb.*, 1883, 13ᵃ Suppl. b., *Uber d. Technik...*
7. Cf. WEIL, *Æsch. trag.*, 1867, p. 23, adn.
8. Cf. HEIMSOETH, *Beitr...*, p. 10-11.
9. Cf. WEIL, *Æsch. Trag.*, p. 23 et 54, adn.; — ZERNECKE, *De choro Sophocleo et Æschyleo*, p. 24-25; — FREERICKS, *l. c.*, p. 66 sqq.

cum ita sint, est quare summa choreutarum inter saltandum non pandatur, quoniam et divinæ statuæ et ipse rex Argivorum in scena versentur. Cavendum est igitur ne 347-406 integro choro, sicuti Weilio placuit, adscribantur; coryphæo autem imputandos esse, quæ Freericksii opinio est [1], aut primum quidem stropharum par universo choro, reliquos vero versus hemichoriis tribuendos, ut Krusius mavult, de hisce conjecturis silendum puto, quia et ab argumenti gravitate et a choricorum legitima æquabilitate æque dissident. Carmen nostrum stœchorum proprium esse hinc palam fit quod e ternis articulis constat, et commus est ad ampliorem dicentium turbam minime aptatus. Istic præterea dochmii præstant, quos, ut in affectibus potentissimos, propter ipsam concitationem, paucarum vocum fuisse non ambigitur. Postremo unum tibi oculis obversetur velim, ter Jovis justitiam invocari aut iram averruncari, quæ, si solidum quidem chorum statuas, frigeant, si vero chori partes, in rem optime quadrent. Quocirca regem quadrata virginum multitudine circumdari fingamus, quæ dextrorsum sinistrorsumque per scalas escenderunt. Sic autem dispositas consentaneum est ordine precari, incipientibus quibuscum coryphæus sit, et sensim effervescere, ut assolet in commis, et in spissos clausulæ dochmios exardescere.

Quæ Danaidum collocatio et maximas opportunitates habet, et plurimum proficit ubi quo pacto inter canentes distribuantur v. 418-437 quæritur. Nam brevissimo discursu opus est ut virgines κατὰ ζυγὰ diducantur, hinc atque illinc juxta regem consistant, et binos ordines in latitudinem utrinque repræsentent, binæ stropharum paria cantaturæ. Singillatim et deinceps zyga ad preces converti argumenti natura ostentat [2], cum pæonicis dochmiacisque numeris decurrat minus ad gregatim canentium voces accommodatis [3], et idem sonet prima antistropha quam secunda stropha, et ter de raptu agatur, quod quidem non nihil molestiæ habebit, si integro choro secundum Freericksium [4] usus fueris.

Trimetri 455-523, ubicumque puellæ loqui videntur, nimirum ad coryphæum spectant. Necesse est enim una Danais pro omnibus ambiguæ orationis ambages fusius explicet (455-67), et regia jussa perfici nuntiet, quæ non nisi cunctis simul data fuerint (504-514).

1. *L. c.*, p. 35.
2. Cf. Bamberger, *De carm. Æsch. a part. chori cantatis*, p. 69.
3. Vid. Seidler, *De Versibus dochmiacis*, p. 10, adn.
4. *L. c.*, p. 40.

Postquam scenam, ut vidimus, chorus reliquit, primum stasimum canit melicorum venustate et copia locupletissimum (524-599); quod fieri non potest quin universis choreutis commissum fuerit [1]. Quare hic stœchos Albertius instituerit [2] omnino nescio, quamvis quindecim virgines male conjecerit. Missa enim Terpandrica quæ fertur Westphalii lege [3], cujus copulis minime nostrum carmen irretitum docere longioris disputationis sit, elucet melicam adeo poetæ facultatem scatere ut antistrophico vinculo non teneatur. Ita se res habet : sententiarum conglutinatione arctissime antistropha cum inferiore stropha conjungitur (ἀντ. γ', στ. δ'); et verba etiam plane sensu careant super legitimum metrorum intervallum incurrentia (580-582), si aliis strophicos versus aliis antistrophicos mandare libuerit. Accedit eo quod divinus Ius conjux nobilitatur, narranturque æstro per terras mariaque impulsæ virginis errores, unde Hesiodicum quid, ut ita dicam, spirat carmen. Ceterum, ubi rex proficiscitur opem tutelamque Supplicibus pollicitus, moram inter timores sustentationemque recipiunt, placatisque paulo sollicitudinibus, divinam sanguinis sui originem Jovisque amores non sine omnium communi studio lyrice concinunt.

Quod idem non licet transferre in insequens stasimum. Postquam enim coryphæus v. 602-604 dixit, anapæstosque recitavit (625-629), inter quos in solitam canendi saltandique stationem redeunt virgines in ordinesque digeruntur [4], gratias Argivis agunt (631-709), quorum universis suffragiis, dissentiente nullo, ut narrat Danaus, jus perfugii incolumitasque fugitivis renuntiantur. Quænam fuerit hic choreutarum distributio etsi multum inter se interpretes dissentiunt [5], in Albertii [6] Weckliniique [7] existimationem transeo qui tria priora stropharum paria stœchis, quartam stropham et antistropham toti choro postulant. V. 631-97 enim quin simillimum quiddam habeant quis ambigat? Metrorum quasi indiscreta facies, quoniam a logaœdis ordiuntur, et iisdem gly-

1. Cf. Freericks, *l. c.*, p. 44.
2. *L. c.*, p. 14.
3. Vid. Westphal, *Prol...*, p. 110 sqq.
4. Vid. Boeckh, *Abhandlungen der Berl. Akad. d. Wiss.*, 1824, p. 86.
5. Hermanno et Krusio hemichoria placent; Freericksius eadem, utpote istius orchesticæ formæ amator, probat (*l. c.*, p. 41 et 52-55), sed ita miscet ut re vera choreutas viritim canentes exhibeat; Bambergerus (*l. c.*. p. 15) partes quidem chori profert, sed nihil habet quod definitum sit aut certum ; etc.
6. *L. c.*, p. 14.
7. *Fleck. Jahrb.*, 1883, 13ª Suppl. b., *Uber d. Technik...*

coneis clausulis sexties terminantur, quæ, propter ipsam istam iterationem ῥυθμικὰ ἐπιφωνήματα a Wecklinio vocari potuerunt[1]. Hæc si quis reputaverit, et consimilia fere vota in v. 651-697 revocari[2], et bis etiam in deprecandis Martis furoribus Danaidas morari, verborum importunitatem adsumpto stœchorum cantu facile tolli fatebitur. Quæ enim incommoda sint indiviso manente choro, ea pro grati animi testimonio ducenda sunt, ubi partes chori consistunt, quoniam æquum es ta benefactoribus humanissime omnium gratias recipi in quos officia contulerint, et ob eadem benefacta eadem fere a multis exoptari.

Nunc vero v. 698-709 solidi chori esse nemo dubitet. Nam et rhythmorum natura a prioribus distant, quæ discrepantia optime cum canentium mutatione congruit[3]; et rhythmica glyconeorum clausula carent ita ut merito pro epodo ducendi sint; et ad servanda civitatis jura, in qua populi summa potestas sit, ea vota promunt quæ non in partes sed in concentum chori aptissime cadant[4]. De hocce nostri cantici exitu et de ipsius re chorica controversia non erit quin valde Atheniensibus arriserint.

Vix tamen lætissima, ut certam subsidii spem habentes, Danaides desierunt precari, cum altum tenere Ægyptiacæ naves a Danao e specula prospectante nuntiantur. Protinus conturbatur status animorum in orchestra, puellæque pavore perculsæ ad patrem vertuntur commumque canunt (734-759) dochmiis concitatissimum. De quo scenice interpretando non multa est inter viros doctos controversia. Hermannus enim hemichoria suspicatur : quem imitatus Freericksius trimetros quidem iambicos coryphæo et parastatæ, dochmios vero hemichoriis relinquit[5]. Bambergerus præterea omnem choreutarum divisionem zygis posteriorem putat[6], cujus vestigiis ingressus Albertius trimetros zygorum principibus, dochmiacos autem numeros zygis solidis committit[7]. Qua distributione paululum mutata ego nihil ad rem magis idoneum inveni. Namque, ut in v. 418-37 vidimus, et infra

1. Cf. Kruse, *Suppl. comment., adn. ad h. Vss.*
2. Cf. Weil, *Æsch. trag.*, 1867.
3. Cf. Bamberger, *l. c.*, p. 32.
4. Cf. Muff (*Fleck. Jahrh.*, 1883, p. 22), qui acutissime vidit ubique ternis stropharum paribus adjungi ephymnia rhythmica, unde colligi possit antistrophica deinceps in stœchos, ephymnia autem in individuum chorum recidere.
5. *L. c.*, p. 58-59.
6. *L. c.*, p. 69.
7. *L. c.*, p. 15.

etiam non semel ostendetur, quoties choreutæ tragico eventu commoti et de sua ipsorum sorte sollicitati non cantatorum modo sel actorum munia exsequuntur, et orchestram mœroris communisque fati consortio quasi scenæ admovent et admiscent, veri est simillimum chorum non in legitimos qui magnificentissima chorica deceant ordines explicari, neque in conistra quocumque modo expandi, sed in hyposcenii propinquitate haud procul a scalis dextrorsum sinistrorsumque stipari, quo vehementius citiusque animos personarum de proscenio loquentium regat. Sic autem fuisse virgines collocatas ideo patet quia, sive incipientis sive exeuntis cantici verba spectentur, nihil legatur unde hemichoriorum cantum conjicere queas. In primo stropharum pari diversissima canuntur, eademque cum concinentia tum symmetria, quæ præcipua hemichoriorum venustas est, admodum destituta; in altero autem subsimilia iterantur [1], quæ non nisi ad singularem cantum videntur aptissima. Postremo dochmiorum fervor perturbatioque monent caveamus ne nimio plures simul canentes fingamus, cum istorum numerorum proprium sit ad ea in primis pertinere quæ sint viritim expressa.

Jam, quod ad trimetros spectat, non amplius Bambergero assentior. Fac enim zygorum principibus demandentur, inconspicuus erit coryphæus; immo etiam modo zygi, modo chori (762-63) dux erit, permodico quidem intervallo imminutus idemque sublatus. Itaque omnia iamborum paria cantatorum principi restituo [2], quod sane non alius quivis auctoritate satis apud ceteros valet ut gravissima verba per se unus efferre dignetur μόνην δὲ μὴ πρόλειπε, et legitime interponitur quoties de orchestra colloquium cum scena oritur. Ceterum non indecet, dum ad ima solvitur chorus, summam canentium, recitante coryphæo, aliquatenus manere.

Postquam exsævit animorum tumultus, pavidis adhuc Danaus filiis suadet metum excutiant, quoniam non ad exiguum tempus duraturæ sint navium Ægyptiacarum advectio armatorumque in littus Argivum expositio. Itaque chorus proxima hyposcenii orchestræ spatia derelinquit, et in ampliores ordines dilatatur ad tertium stasimum (776-835) cantandum. De quo quid interpretes? Priora tria stropharum paria Hermannus hemichoriis tribuit [3], cujus

1. Cf. βωμὸν ἀλέγοντες οὐδέν (751) et θεῶν ἐπαΐοντες οὐδέν (759).
2. Cf. Weil, *Fleck. Jahrb.* 1861, 397-398; qui ceteroquin dochmios choro universo tribuit.
3. *Æsch. Trag.*, 1859, I, p. 30 sqq.

in verba jurant Schwerdtius [1], Krusius [2] et Freericksius [3]; tribus stœchis Bambergerus [4], choro autem solido Heimsoethius [5]. Omittenda hemichoria existimo quoniam inter se virginum collidantur voluntates, inconstantioresque fiant. Potior quidem Bambergeri sententia videtur, sed vereor ne vir doctus in distribuendo cantu multum erraverit. Dicit enim : « Præterea a στοίχοις chori cantatum esse carmen Suppl. v. 779 sqq. probabile est. Cujus quum sex strophæ sint ita conformatæ, ut in tribus prioribus singulis mortis genus, quod quæque potissimum habeant, præ nuptiis a Danaidibus exoptetur, inde autem cantus ad alia transiliat, non potest ea partitio non videri aptissima, qua universæ chori partes in aliqua morte præoptanda consentiant [6]. » Unde, ni fallor, patet, abrupto antistrophicorum vinculo, tres priores strophas a stœchis singulis, tres vero inferiores rursus ab iisdem stœchis deinceps fuisse cantatas. Quæ divisio, ut minime in consuetudinem venit, ita sententiarum connexionem præcidit. Postquam enim primus stœchus nihil rerum omnium mavult quam pulvis fieri, ut subito e conspectu hostium tollatur et in aliqua Argivæ terræ latebra abscondatur; alter vero satius putat laqueis emori; tertius denique omnia ista posthabet si ex solitariæ cacumine rupis se dejicere potuerit, nonne absonum est primum stœchum non amplius de latibulis cogitare, sed de futura sorte incuriosum esse se profiteri? In stœchis igitur acquiescamus censeo, dum modo solito officio fungantur, suumque quisque stropharum par canat. Neque huic conjecturæ obstet quod paululum inter se dissentire videantur, cum prior parum contra vim præsidii esse ratus, etiam si in pulverem convertatur, mox suspendio se necare cupiat, alter autem gravissimum e saxo casum pluris faciat, extremus contra precibus præcipue confisus deos deprecetur ne invisum conjugium inire cogatur.

Unus manet chorus, quia non in eum locum adducitur ut aut moriatur aut fœdissimum servitium serviat; neque de omnium virginum consensu aliquid detraxeris, si quæ luce frui simul et pessimam conditionem effugere pluris fecerunt. In simplicitate varietas : eo semper stetit ars Æschyli chorica æque ac dramatica.

Nunc v. 825-35 qua ratione distribui possint alii judicent.

1. *Suppl.*, ed. 1858, Berol. — Vid. h. Vss.
2. *Suppl. Comment.*, adn. ad h Vss.
3. *L. c.*, p. 60.
4. *L. c.*, p. 67.
5. *L. c.*, p. 47.
6. *L. c.*, p. 67-68.

Hermannus sic hemichoria componit ut novies unumquodque cantet [1]. Muffius hemichoria quidem retinet, sed cantum ad coryphæum parastatenque defert [2]. Ego vero, quanquam mihi non sumo ut intractabiles adhuc versus emendare coner, tamen nihil esse fateor cur hemichoria sint desideranda. Neque enim in superiore chorici parte locum habent, neque statim in insequenti commo adhibebuntur; quomimus præterea hanc cantatorum choricam formam instituamus prohibet, ut Wecklinius animadvertit [3], præconis irruptio, quæ artificiosiorem choreutarum partitionem turbavit. Quocirca, etiam respecta scripturæ corruptela, singulas Danaidas canere aut potius præ pavore ejulari a re minus abhorret. Sed, ut ut hæc sunt, versiculos istos (825-35) rhythmorum mutatione, metrorum fabrica et sententiarum etiam natura longe a prioribus discordare certissimum est, simul et pro totius cantici (776-835) epodo ducendos esse. Quod si igitur exemplum ab isto choricorum genere trahitur quæ jam in Persis reperimus (633-80; 852-906), stœchis v. 776-824, choro autem universo v. 825-35 assignabuntur, quamvis tamen de hisce, tanquam inquinatis, nihil affirmaverim.

Proximum commum (836-911) pauci, ut vitiosissimum, ausi sunt chorice interpretari : aleam tamen subeo, ne quid inexpertum relinquam. In primis vero verba οὐκοῦν οὐκοῦν τιλμοὶ τιλμοὶ.... (837 sqq.) non choro, sicut Hermannus [4] et Paleius [5] voluere, sed, veluti e versuum sensu et re metrica patet, præconi adscribendos cum Weilio [6] et Kirchhoffio [7] censeo. Namque voces copula destitutæ ut minitantis iterantur; ceterum v. 835-42 facile proodus vocari queunt, utpote astrophici; et ab Æschyli consuetudine aversum est proodicos versus inter scenam orchestramque dividi.

Jam, remoto isto impedimento, in majores etiam salebras incidimus. V. 866-911, quanquam per tenebricosa saxa decurrunt, tamen ad exitum perduci possunt; 843-65 vero non valent pedibus. Primus eos antistrophice Hermannus disposuit, sed in stropha verba αἵμονες ὡς ἐπάμιδα... (847 sqq.) et antistrophica etiam,

1. Vid. apud Hermannum (*Æsch. Trag.*, I, p. 32 sqq) quæ sit verborum inter hemichoria distributio, quam non vacat referre.
2. *Fleck. Jahrb.*, 1883, p. 24.
3. *Fleck. Jahrb.*, 13ⁿ Suppl. b., *Uber d. Technik....*
4. *Æsch. trag.*, *Suppl.*, p. 32.
5. *The tragedies of Æschylus, Suppl.*, p. 72-73.
6. *Æsch. Suppl.*, 1867, p. 85.
7. *Æsch. Trag.*, Berolini, 1880, p. 319.

spreta scholiastæ auctoritate, male choro tribuit. Paleius quoque et Kirchhoffius, ut recentiores tantum interpretes nominem, erravere; quorum unus Hermanni errorem sibi assumpsit, et alter hæc ἀγέιος ἐγὼ βαθυχαῖος (859-60) præconi adscribenda arbitratur. Equidem quî refellatur Weilii conjectura non suspicor, 859-60 permutatos fuisse, et plane, nisi in locum proprium rursus statuantur, intellectu carere reliqua quæ a scholiasta satis enodata fuisse videantur : ἀγέιος ἐγὼ βαθυχαῖος. Itaque, quamvis malim istum commum ad istius effigiem conformatum fuisse quem jam in Persis attigerim (831-1001), et in priore stropharum pari non quater sed bis solum inter se, ut in ceteris, Danaidas præconemque colloqui, tamen Weilii controversiam non neglegendam puto, præsertim quia, adveniente præcone et tumultuante orchestra, probabilius sit primo non artificiose et ad amussim semel, sed ardentissime et turbulente, ut minitantium paventiumque, interrogata responsaque sibi vicissim occursavisse.

V. 866-904, etsi singulas voces multum editores mutaverunt, quoniam de personarum vicibus non ambigitur, interpretari supersedeo.

Nunc igitur ad orchesticam commi explorationem transeo. In quo miror cur, pro solenni consuetudine, Freericksius hemichoria experiri tentaverit[1]. Quæ chorica forma cum elegantior est et symmetriæ opportunior ut trepidantium discursus effingat, tum etiam in verborum significationem nequaquam quadrat. Importunum enim et incommodum, si chorus in duas partes scindatur, postquam præconis naufragium in prima stropha exoptatum sit (843-46), eadem quoque bis in secunda stropha (866-73) et in antistropha (876-81) expeti. Stœchis autem instructis, ratio est simillima fere omnibus ordinibus optabilia fuisse, et quæ prior dixerit, hæc ab altero iterari, raptorem scilicet sive mari sive Nilo obrui. Quæ conjectura, quemadmodum cum chorici partitione optime consentit, sic cum re scenica minime discrepat. Melius enim præco rem geret, si stipatos deinceps quadrati chori stœchos non autem utrinque discursantes virgines agere cogetur. Ternos autem Danaidum ordines instruendos esse vel inde elucet quod paucorum cantum commus recipit, et extremum stropharum par, ut nonnulla carmina trifariam divisa, ephymnio concluditur (889-92; 898-901), quod non potest universis choreutis non attribui.

De trimetris 904 et 907 addubitationi locus non est, nisi prave

1. *L. c.*, p. 68.

judico. Chorum enim silere, et unum antistrophice dolere coryphæum in tanta omnium trepidatione ineptum. Itaque bini non ineleganter summæ virginum dabuntur, vocumque concentus qui ab ephymniis cœptus est in novissimis hisce sed brevissimis commi strophulis desæviet.

Profecto tandem præcone, postquam rex Danaum filiasque monet Argivorum hospitio confidant urbemque ingrediantur, recitantur anapæsti, quibus quî possit fraudari coryphæus non præsentio. Ex quo Droysenius v. 976-79 regi ab ipso Hermanno creditos choro restituit, hypermetra ista, utcumque dividuntur [1], ejusdem personæ munus auctoritatemque testantur. Quod si enim vulgo evenire solet omnia unius quam multorum ductu facilius regi, patet non a cunctis simul Danaidibus sed a chori principe solum juberi ancillas e locis ubi latuissent excedere et juxta heras quamque instrui. Nulla re igitur adducimur ut, cujus choreutæ sit pro omnibus agere et imperare, hunc indignum fateamur qui regi communes fugitivarum grates decernat puellarumque postulata enuntiet (966-79) [2].

Ad coryphæum quoque spectat iambicus quaternio quo ultimum episodium finitur (1014-1017). Nunc de ultimo carmine videndum (1018-1074) quod ἀφοδικὸν dici potest [3]. De quo diversissimæ prolatæ sunt sententiæ [4], quas cum longius sit subtiliter persequi,

1. Mediceus tria systemata (16, 4, 6 dipodias) præbet. Hermannus Medicei parœmiacum in dimetrum mutans scribit Βάξει λαῶν τῶν ἐγχώρων. Weilius autem et Dindorfius lacunam post Βάξει λαῶν conjiciunt ita ut v. 975-979 cum 966-973 æquiparentur. — Cf. Etiam Stippl, *Zu ant...*, p. xv.

2. De sententiarum discrimine in hisce anapæstis expressarum, Cf. Schmidt, *Antike Compositions-lehre*, p. 497; et Freericks, *l. c.*, p. 70.

3. Westphal, *Prol...*, p. 19.

4. Schütziua enim astrophicos putat v. 1018-1047, inconcinne 1048-1062 hemichoriis attribuit, extremos vero carminis trochæos choreutis universis tradit (*Æsch. Trag.*, 1809-1821). Bothius metrorum responsionem vilem habet, et hemichoriorum primo ἴτε μὰν ἀστυάνακτας..... μειλίσσοντες οὖδας (1018-1030), alteri vero ἐπίδοι δ'Ἄρτεμις..... τρίβοι τ'ἐρώτων (1031-1043) adscribit (*Æsch. Trag.*, 1831). Bœckhius, postquam quattuor præmissos trimetros coryphæo vindicavit, octo strophas constituit, quarum binas priores hemichoriorum principibus, ceteras autem sex heris totidemque famulis vicibus relinquit (*De Græc. trag. princ.*, p. 65 sqq); quæ partitio coryphæum, ut ita dicam, a choro secernit, cantatoresque inæqualiter per antistrophica statuit. Bambergerus, mirabiliter interjectis per exodicum carmen famulis quibus v. 1027-1030 et 1039-1043 reservantur, reliquos versus in duodena commata dividit, et singulis hemichoriorum choreutis assignat; postremo 1063-1074 solidis hemichoriis committit (*l. c.*, p. 22, 32 et 70). Oberdickius virginum ancillarumque hemichoria arbitratu suo disponit et miscet, minime respecta antithetica lege qua canentium partes melicaque commata inter se æquabiliter respon-

liceat meam opinionem proferre, quamvis insolentius forte videri possit in tot tantorumque virorum erroribus quid sit verum dispexisse et dijudicasse. Sed non tantulum intererit in sparsis conjecturarum ruinis hanc quoque jacere. Quæ non tam mea est quam ex aliorum excogitationibus magnam partem constituta, et ad Æschyleorum verborum sensum accommodata. Constat autem ab ipso chorici exordio chorum moveri (ἴτε μὰν ἀστυάνακτας... 1018), ut foras egrediatur oblatum a rege hospitii locum petiturus.

dent (*Suppl.*, ed. 1869, p. 190 sqq). Hartungius priores quattuor strophas sed dimidiatas binis Danaidum famularumque choris mutuo se excipientibus demandat; tertium stropharum par ita partitur :

DANAIDES

ὁ μέγας Ζεὺς.... βέλτατον εἴη.

ANCILLAE

σὺ δὲ θέλγοις....

DANAIDES

σὺ δέ γ'οὐκ οἶσθα....

ANCILLAE

τί δὲ μέλλω.... εὔχου.

DANAIDES

τίνα καιρὸν....

ANCILLAE

τὰ θεῶν....

Postremo trochaicam exodi clausulam universis puellis impertitur (*Æsch. Trag.*, 1852-1855). Hartungium sequitur J.-H. Schmidtius (*Die Eur. in d. Chorg. d. Griechen*, p. 310-312). Albertius sic carminis partitionem schemate definit :

Δαναΐδ. ἡμιχ. α'.
στρ. α'. ἴτε μὰν ἀστυάνακτας — σέβωμεν ὕμνοις.
Θεραπ. ἡμιχ. α'.
ἀντ. α'. ποταμοὺς δ'οἳ — πέλει τόδ'ἆθλον.
Θεραπ. ἡμιχ. β'.
στρ. β'. Κύπριδος δ'οὐκ ἀμελεῖ — τρίβοι τ'ἐρώτων.
Δαναΐδ. ἡμιχ. β'.
ἀντ. β'. φυγάδεσσιν.... — πέλοι γυναικῶν
Δαναΐδ. ημιχ. α'.
στρ. γ'. ὁ μέγας Ζεὺς ἀπαλέξαι
γάμον Αἰγυπτογενῆ μοι.
Θεραπαιν. ἡμιχ. α'.
τὸ μὲν ἂν βέλτατον εἴη.
Δαναΐδ. ἡμιχ. β'.
σὺ δὲ θέλγοις ἂν ἄθελκτον.
Θεραπαιν. ἡμιχ. β'.
σὺ δέ γ'οὐκ οἶσθα τὸ μέλλον.
Δαναΐδ. ἡμιχ. α'.
ἀντ. γ'. τί δὲ μέλλω φρένα Δῖαν
καθορᾶν, ὄψιν ἄβυσσον;
Θεραπ. ἡμιχ. α'.
μέτριον νῦν ἔπος εὔχου.

Ergo propius est fidem quæ fuerit intrantis eamdem quoque dispositionem exeuntis chori permanere. Itaque zyga Danaidum cum Christio instituo, eoque probabilia sequor, quoniam ratio ista versuum re metrica nititur. Dimidiatas enim esse strophas quattuor priores ipsa metrorum figura evincit, æque ac sententiarum abruptiones interpunctionesque verborum. Hemichoria autem in canenda stropha aut antistropha alternare vices vitiosum, siquidem hemi-

Δαναΐδ. ἡμιχ. β'.
τίνα καιρόν με διδάσκεις;
Θεραπαιν. ἡμιχ. β'.
τὰ θεῶν μηδὲν ἀγάζειν.

Denique stropham δ' Danaidibus, antistrophamque famulis mandat (*l. c.*, p. 17-18) : quæ divisio mendosa mihi videtur quod, minime spectato fabulæ argumento, ancillis Dianæ invocationem delegat, temere autem puellas fingit quidquid de se evenerit excepturas. Krusium secutus Weilius (*Suppl.*, ed. 1887; et ed. 1884, ex parte) stropharum et antistropharum α' et β' inferiorem partem a famulis iterari conjicit, sed strophas integras dat hemichoriis singulis : cujus ratio claudicare videtur, cum et iisdem stropham et antistropham β' quam stropham et antistropham α' vindicet, neque respiciat locorum disparitatem quæ mox ostendetur; tertium præterea stropharum par, quamvis ipse opinionem mutaverit (vid. ed. 1867 et ed. 1884), non recte, ut opinor, inter hemichoria distribuit. Christius (*Teilung d. Chors in Attischen Drama*, *in Abhandl. der bair. Ak.*, XIV, fasc. II, p. 222) hemichoria in zyga scindit, deinde strophas ad prius hemichorium et huic adjunctas famulas, antistrophas vero ad alterum hemichorium ejusque famulas defert : in quo erravit vir doctissimus, quia sententiarum pugnantia miscuit. Westphalius (*Prol. zu Æch...*, p. 24-25), Kirchhoffiusque (*Suppl.*, ed. 1880, p. 328) acutissime odorati sunt a v. 1035 intercedere personarum mutationem, et Danaidum hemichoriis primum stropharum par, famularum vero alterum assignanda esse, sed inconcinne stropham et antistropham δ' partiti sunt, nequaquam spectata sententia in verbis subjecta :

DANAIDES
ὁ μέγας Ζεὺς.... — Αἰγυπτογενῆ μοι.
ANCILLAE
τὸ μὲν ἂν βέλτατον.... — ἂν ἄθελκτον.
DANAIDES
σὺ δέ γ'οὐκ οἶσθα....
ANCILLAE
τί δὲ μέλλω.... — ἄβυσσον;
DANAIDES
μέτριον νῦν.... — διδάσκεις;
ANCILLAE
τὰ θεῶν....

De Hermanni (*Æsch. Trag.*, I, p. 39 sqq) autem divisione a Freericksio (*l. c.*, p. 79 sqq) et Paleio (*The Tr. of Æsch.*, p. 84 sqq) recepta sileo, quoniam voce ὀπαδοὶ significari famularum comitatum negavit, unde omnis turbatur cantici ratio. — (Cf. etiam LINDNER [*Disput. de choro in trag. Æsch.*, in *Annal. Phil. et Pædag. a Jahnio* ed., a. 1827, p. 110 sqq]).

choriorum proprium est neutro inclinari, sed rhythmice metriceque similia similibus pensare. Inæquabilitatem contra recipit zygorum munus, dum bina binis respondeant, quæ nostrorum æquatio antistrophica est. Præterea minime placet v. 1022-26 (ὑποδέξασθε δ'ὀπαδοὶ....) et reliqua a famulis repeti. Quodsi neque strophæ initio neque in extrema antistropha jubentur herarum subsequi verba, pendet ab orchestica coryphæi statione quem in secundo zygo versantem par erat unum præesse et imperare. Nam puta ancillas sive strophas sive deinceps dimidias stropharum partes recinere : quî fit ut hanc ipsam Dianæ invocationem protinus sibi displicituram reddant, et præsertim quasi consulto taceant heræ ut pedisequæ ea canere occipiant quæ ad ipsas non spectare non possint?

Vide enim quam apte cohæreant sententiæ, quamque omnia arctissime teneantur et sibi respondeant! Ubi ultimum Danaidum zygum cantare desiit, statim obmutescit exspectans donec famulæ carmen suum recantabunt. At non istæ herarum verba, velut a se repudiata, resumunt, sed potius Dianæ Venerem opponunt, ut quæ juxta Jovem Junoni adsideat et in componendis mortalium animis unice præpolleat (1035-43). Inconsultum præterea v. 1044-47 virginibus adscribere, easque fingere de futuro Ægyptiorum impetu sollicitas, quia ab initio canticum suum lepore et festivitate condierint; simul et fati decretis acquiescentes (1048-50), cum ipsæ arbitrium suî fortunarumque servare voluerint; postremo minime ab sese conjugium deprecantes quod pariter priorum temporum mulieribus acciderit (1051-52), utpote quæ mox maritos sint interfecturæ. Pugnantia autem tollentur, si in Danaidum locum famulæ subibunt. Hæ enim, quoniam de se non agitur, et supra humanam virtutem divini sanguinis fastu regiisque deliciis non sunt sublatæ, mitiora ingenia præ se ferunt; non Dianam paucarum virginum sed Venerem omnium fere mulierum deam colunt; puellas a ferociore consilio deterrere conantur, facile posse dictitantes arma ab Ægypti filiis in Argivam terram invehi, quoniam jam fugitivarum vestigiis prope per maria institerint [1]; itaque puellarum globo suadent futura æquo animo patiantur quæ in abditissima mente Jupiter moliatur; postremo, ut acrius inter se contraria opponantur, virginum verba in extrema priore antistropha posita (στυγερῶν πέλοι τόδ'ἆθλον, 1034), sed

1. Sic enim 1046 legendum cum Paleio puto : ὅποτ' εὔπλοιαν ἔπραξαν, quæ scholiasta interpretatus est ὅτι εὐπλοίας ἔτυχον.

permutata sententia, in exeunte quoque altera antistropha metrice repetunt, aliamque vitæ rationem proponunt :

μετὰ πολλῶν δὲ γάμων ἅδε τελευτὰ
προτερῶν πέλοι γυναικῶν (1051-52).

Unde miram sententiarum personarumque inter primum alterumque stropharum par diversitatem fatebimur, et v. 1035-52 singulis famularum zygis tribuemus.

Nunc vero brevissima et rogantur et respondentur de more sermocinantium. Postquam primum Danaidum zygum superbius dixit : magnus Jupiter avertet Ægypti filiorum conjugium (1053-54) [1], proximum, ut hisce dominis adjunctum, ancillarum zygum : eveniat, inquit, quidquid optimum est [2]. Sed displicent ista, nam, si fatorum voluntati non suæ ipsarum iracundiæ semet committant puellæ, accidere possit ut rerum mortalium vicibus vel inimicissimis viris tradantur; quorum naturam inexorabilem quando flectere nolunt, non mirum est eas hisce verbis famulas increpare :

σὺ δὲ θέλγοις ἂν ἄθελκτον (1056).

Sed postquam ista neque Deorum neque futuri rationem habent, statim ab ancillis respondetur :

σὺ δέ γ'οὐκ οἶσθα τὸ μέλλον (1057).

« Quî futura noverimus in arcana Jovis mente recondita », aiunt Danaides (1058-59)? « Modica igitur expetite », reponunt famulæ; scilicet « vim Jovi ne facitote dicentes ὁ μέγας Ζεὺς ἀπαλέξει... sqq. » Impiam igitur confidentiam deponunt Danaides, et « quem tu modum me doces? » inquiunt. « Noli, aiunt famulæ, deorum res nimis inquirere. » Perinde autem hoc valet tanquam ea quæ sæpius de immutabili fatorum ordine usurpantur (1048-52; 1057). Non male igitur statuemus, si octona commata duplicatis Danaidum ancillarumque zygis destinabuntur.

Nunc vero de v. 1063-74 facilius decernetur, quoniam desiit colloquium et rhythmi mutantur. Cum enim in melius Danaides

1. Malim enim ἀπαλέξει (Weilius, 1884), cui major inest Jovis auxilio confidentia, quamvis ἀπαλέξαι (Med.) minime a ratione mea abhorreat.

2. Sic enim verba τὸ μὲν ἂν βέλτατον εἴη (1055) intellego cum Paleio, apud quem nonnulla legere est exempla unde firmetur enormis articuli positio. Ceterum inversa sententia aptius in superiora quadrat : ὅ τί τοι μόρσιμόν ἐστιν, τὸ γένοιτ' ἂν (1048).

traducantur, et satis habeant si conjugium invisum deprecentur, fatumque bonis malisque rebus commixtum ab ipso Deorum arbitrio et subsidio exspectent, non est cur jam ancillas ab heris disjungamus. V. 1063-74 igitur binis choris solidis demandabuntur [1]; quæ distributio, ut natura probabilior, ita et sententiarum junctura et forma verborum commendatur quæ a stropha in antistropham transsiliunt.

Quare mihi liceat totius exodici carminis distributionem paucis resumere et delineare.

Stropha α'.	DANAIDES ζυγὸν α'
	ἴτε μὰν.... περιναίονται παλαιόν.
	DANAIDES ζυγ. β'
	ὑποδέξασθε...... ὕμνοις.
Antistropha α'.	DANAIDES ζυγ. γ'
	ποταμοὺς δ'.... μειλίσσοντες οὖδας.
	DANAIDES ζυγ. δ'
	ἐπίδοι δ' Ἄρτεμις...... τόδ' ἆθλον
Stropha β'.	ANCILLAE ζυγὸν α'
	Κύπριδος...... ἐπὶ σεμνοῖς.
	ANCILLAE ζυγ. β'
	μετάκοινοι δὲ.... τρίβοι τ'ἐρώτων.
Antistropha β'.	ANCILLAE ζυγ. γ'
	φυγάδεσσιν..... διωγμοῖς;
	ANCILLAE ζυγ. δ'
	ὅ τί τοι μόρσιμόν..... πέλοι γυναικῶν.
Stropha γ'.	DANAIDES ζυγ. α'
	ὁ μέγας Ζεὺς..... Αἰγυπτογενῆ μοι.
	ANCILLAE ζυγ. α'
	τὸ μὲν ἂν βέλτατον εἴη.
	DANAIDES ζυγ. β'
	σὺ δὲ θέλγοις.....
	ANCILLAE ζυγ. β'
	σὺ δέ γ'οὐκ οἶσθα.....

1. Cf. KIRCHHOFF, *Suppl.*, p. 328; — FREERICKS, *l. c.*, p. 82.

Antistropha γ'

DANAIDES ζυγ. γ'
τί δὲ μέλλω..... ἄβυσσον;


ANCILLAE ζυγ. γ'
μέτριον νῦν ἔπος εὔχου.

DANAIDES ζυγ. δ'
τίνα καιρὸν......

ANCILLAE ζυγ. δ'
τὰ θεῶν........

Stropha et antistropha δ' : una voce omnes.
Sic autem chorus instrui potest :

DANAIDES ★ — ANCILLÆ ⫱



CAPUT III

SEPTEM CONTRA THEBAS

Fusius de hoc quærere prætermitto quindecimne choreutas Æschylus in Septem adhibuerit, judice Hermanno[1], an duodecim, ut auctor est Muffius[2]. Non nisi duodenis Æschylum usum fuisse, saltem in superstitibus fabulis, pro comperto habeo; totidemque canere in hac tragœdia haud semel ad liquidum perducetur. Itaque per impeditissima statim incedam, disputatioque mea a parodo orietur quam muliebres Thebanæ canunt, quamdiu in orchestram temere irruunt[3]. Carmen istud singillatim fuisse cantatum non difficile judicium videtur. Præterquam enim choreutas a scholiasta traditur σποράδην, discussis ordinibus, irrupisse, singularis cantus indicia ex ipsa chorici ratione trahuntur, quoniam et ex dochmiis omnino fere conficitur, quos ceteroquin in multarum consonantium vocum societatem minime convenire solitos esse jam undique conceditur[4]; et interrogata responsaque complectitur strictim inter se occursantia, ut pavide ejulantium potius quam colloquentium; et verborum commissuris, composito decursu, convenientia absolutaque responsione caret, quæ chorica decent subtiliore artificio laborata et ad quadratos saltantium ambu-

1. *Æsch. Trag.*, 1859, II, p. 273-274, adn. ad v. 78.
2. *Der Chor in den Sieben des Aischylos*, Sttettin, 1882, p. 1-2.
3. Male conjicit Muffius (*l. c.*, p. 11) chorum in scenam ingressum fuisse. Quoties enim mulieres ad preces vertuntur aut at Deorum simulacra procumbunt, signa intellegantur oportet in hyposcenio collocata.
4. Vid. Hermann, *Præfat. ad Eurip. Herc. Fur.*, p. xv; — Seidler, *De versibus dochmiacis*, p. 10; — Boeckh, *Pind.*, I, p. 322.

lantiumque motus aptissima. A natura autem simul atque a chorica arte discedit legitimis ordinibus provolasse mulierculas horrore efferatas [1].

Sed, quamvis singulos choreutas deinceps canere inter omnes fere interpretes constet [2], in magnas difficultates incurrit antistrophicorum distributio [3]. De multorum placitis sileo, statimque ex criticorum numero Ritschelium educo, qui primus v. 78-107 haud antitheticos esse vidit [4], reliquam vero carminis partem tam diligenti commatum compensatione partitus est, ut divisionem suam novissimis editoribus, Heimsoëthio [5], Weilio [6], Westphalio [7], Kirchhoffio [8], Muffio [9], Vecklinio [10] nonnullisque aliis probaverit.

Jam de canentium dispositione quid profuerit quidquid in mentem interpretantibus venerit ordine pensitare [11]? Etiamsi

1. Cf. Büchler, *Rhein. Mus.*, 32, 1877, p. 312; — Passow, *Index Vratisl.*, 1832; — Alberti, *l. c.*, p. 16; etc....

2. Exceptis tamen Heimsoethio (*Beitr...*, p. 73-74 et 82) et Verralio, quorum hic (*The Seven against Thebas,* London, 1887) neque parodum partitur, neque conjecturas suas propter eam caussam nimirum asserit quod plus tricena partitionis specimina numerat. — Vide etiam Buttler, *Sept...*, ed. Cantabrigiæ, 1812.

3. Hermannus (*Æsch. Trag.*, I, p. 130-131), quem sequuntur Engerus (*Rhein. Mus.*, XI, p. 150) et Paleius (*The Trag. of Æsch.*, p. 269 sqq), v. 110-126 pro stropha α′ habet, 127-134 pro mesodo, 135-150 autem pro antistropha α′; ceterum quæ præmissa sunt (78-107) allœostropha putat. Lachmannus (*De chor. syst.*. p. 81 sqq.) primo stropharum pari v. 116-150, alteri 151-155 vindicat. Bothius (*Suppl.*, ed. Lipsiæ, 1805) quattuor stropharum paria, binis licentius interjectis epodis, conjicit. Bambergerus (*l. c.*, p. 47 sqq.) in v. 78-165 nulla antistrophica responsionis vestigia invenire videtur. Wellauerus (*Æsch. Trag.*, Lipsiæ, 1824) v. 78-92 proodicos existimat, sed 93-165 astrophicos relinquit. Hartungius (*Suppl.*, ed. Lipsiæ, 1852) sex stropharum paria, una tantum interposita mesodo, reperit.

4. Apud Engerum, *De Æsch. antistroph. responsionibus*, p. 36 sqq.

5. *Beitr...*, p. 82-83.

6. *Septem*, ed. 1867 et 1884.

7. *Prol. zu Æsch...*, p. 11.

8. *Septem*, ed. 1880.

9. *Der Chor in den Sieben*, p. 2-10.

10. *Fleck. Jahrb.*, 13ⁿ Suppl. b., 1883. *Uber d. Technik.*

11. Hermannus, a quo non digitum discedit Ritschelius, ita commata scindit ut modo v. 78-115 undenis deinceps choreutis, modo 116-165 quindenis, extremum autem stropharum par hemichoriis committat [quam divisionem in editione Septem probatam paululum Ritschelius mutavit apud Engerum (*De Æsch. antistr. responsionibus*, p. 36 sqq.) cum ultimum par stropharum universo choro expostulet. — Cf. præterea Ascherson (*De parodo et epiparodo trag. græc.*, p. 11)]. Bambergerus (*l. c.*, p. 47 sqq.), v. 78-165 quasi ἀπολελυμένους nunc inter quindenas stœchorum mulieres vicissim, nunc inter binorum ordinum denas partitur, antistrophicamque cantici clausulam hemichoriis tradit. Westphalius (*Prol...*, p. 181-184) cum allœostrophos versus 78-107, tum antistrophicos 108-165 dimidiato, ceteros autem choro solido adscribit.

majores spiritus in re sumam, omnibus hisce repertis repugno, quia aut antistrophicorum æquabilitas consensioque abrumpuntur, aut in particulas carpuntur lanianturque membra poetæ, aut ad libidinem suam viri doctissimi, nulla Æschyleæ consuetudinis, nulla etiam artis choricæ ratione habita, cantatores stipant rursusque disjiciunt. Allœostrophos versus 78-107 viritim canendos esse quasi certo certius est. Nam et verborum continuatio sæpissime conciditur, et in salebrosas deprecationes præfractosque ploratus erumpunt. Ea est insuper metrorum natura quæ tumultuantium fremitus fingat, et choreutarum artificiosius digestos tractus respuat. Itaque conclamantium in orchestramque sese proripientium singularem cantum retinebimus. Avolantes autem in ternos ordines vel trepide festinanterque disponi par est; quæ dispositio ex ipsa lyrici commatis fabrica prodit. Si quis enim diligenter istam parodi proodum perlegerit, coæquatis ferme intervallis interponi Deorum precationes animadvertet (v. 86; 96; 106), simillimosque choreutarum motus cum paribus cantici partibus competere suspicabitur. Ad veritatem præterea videtur accedere Thebanas, non ut quæque zygorum particeps esset, instrui, sed in stœchos deinceps circa hyposcenium explicari, ut quarto quoque stœchorum loco mulieres in fine ordinis positæ ad obsecrationes confugerent, unde expansa canentium summa plus chorici apparatus dramaticæque veritatis foret. Itaque non multum a re errabo si, diu pensitatis sententiarum juncturis, in hunc prope modum carmen nostrum dividam :

ARISTEROSTATAE

ἡ α'

...... θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.
μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών.

Muffius (*Der Chor...*, p. 8-10) non satis esse conturbationis dispersionisque ratus si semel choreutæ singillatim canant, bis chorum dissipat bisque mulierculas σποράδην inter v. 78-165 inducit, reliquam vero syzygiam cantatoribus æque divisis concedit. Postremo Wecklinius (*Fleck. Jahrb.*, 1833, 13ª Suppl. b., *Uber d. Technik...*), postquam astrophica (78-107) inter duodenos choreutas distribuit, strophæ et antistrophæ α' tria quæ suspicatur commata stœchis demandat, extremos contra chorici versus hemichoriis attribuit. De ceterorum conjecturis, quoniam nihil inest præcipuum aut singulare, supervacuum est dicere. — [Vid. Oberdick (*De stasimo primo fabulæ. Æsch. quæ Septem adv. Thebas inscribitur commentatio*, p. 12; — Zernecke (*De choro Soph...*, p. 25-26)].

ἡ β'

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ'
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.

ἡ γ'

<ἐπὶ δὲ γᾶς ἐμᾶς> πεδί' ὁπλοκτύπος
<βοὰ> χρίμπτεται, ποτᾶται, βρέμεται δ'
ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου.

ἡ δ'

ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ' ὀρόμενον
κακὸν ἀλεύσατε.

LEUROSTATÆ

ἡ ε'

βοᾷ ὑπὲρ τειχέων
ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ-
τρεπῆ ἐπὶ πτόλιν διώκων πόδα.

ἡ ς'

τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεᾶν;

ἡ ζ'

πότερα δῆτ' ἐγὼ ⏑ ⏑ ⏑ ποτιπέσω
βρέτη δαιμόνων;

ἡ η'

ἰὼ μάκαρες εὔεδροι, ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστονοι;

DEXTROSTATÆ

ἡ θ'

ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον;
πέπλων καὶ στέφεων
πότ', εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ λιτάν' ἕξομεν;

ἡ ι'

κτύπον δέδορκα·
πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός.


ἡ ια'

τί ῥέξεις, προδώσεις,
παλαίχθων Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν;

ἡ ιβ'

ἰὼ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδε πόλιν
τεάν, ἅν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου.

Nunc vero, tametsi cavillari neque omnia ad partitionis meæ utilitatem referre nolo, unum saltem illustrare liceat, ita scilicet dispertiri commata, ut quæ majora sint in primis ad coryphæum parastatenque, deinde ad choreutas extrinsecus positos, quæ autem minora ad medii chori minus bonos cantatores saltatoresque pertineant; quod ex adumbrata figura clarius lucebit :



Hanc autem compositionem sensim viritimque explevisse mulierculas, quoad canendi finem fecissent, propemodum fidem habet; sed ad certum deducitur ubi parodi partem reliquam metrice tripartitam esse animadvertitur. Pro non dubio sumendum est terna stropharum paria tribus stœchis credita fuisse; nam et ex precibus conflantur quæ fastidio erunt ubi sive ab hemichoriis sive a solido choro repetentur, et sic sunt conscripta ut nulla responsionis concinentiæque indicia supersint, si quis eorum frusta secare et inter singulos choreutas aut choreutarum versus distribuere conetur.

Integræ igitur syzygiæ stœchis committentur, et quod fusius multæque operæ est (110-150) in protostatas cadet. Illud quoque notandum præcipue protostatas ad preces demitti et ad vehementissimas deorum obtestationes ideo procumbere, quod hyposcenii frontem spectent ubi plurima versentur divina signa[1]; deinde deuterostatæ hinc atque illinc haud procul a simulacris dispositi Junonem Dianamque deprecantur; tritostatæ autem, tanquam

1. De hyposcenii ornatu vide Sommerbrodt, *Scænica*, Berol., 1876, p. 140.

sinistra dextraque prope scalas ordinati sed longius a statuis remoti, non jam singulos sed universos promiscue cœlestes implorant, sicut ex novissimis chorici precationibus apparet (166-180).

Jam v. 203-241 non tanti laboris sunt quanti videntur [1]. Tria enim stropharum paria ternos choreutarum ordines desiderant; quæ dispositio ut probabilior sit, subjungitur quod in stropha et antistropha α' curriculorum stridor, frenorum equinorum tinnimenta, hostiumque concursus describuntur. Quæ obsidionalium malorum verbis ante oculos posita pictura, æque ac tentata in v. 80-2 impugnationis imitatio, non est cur aristerostatis, inter quos, credo, versabatur Telestes præstantissimus ille rerum effictor, renuatur. Reliquæ autem commi strophulæ leurostatis dextrostatisque vicissim concedentur. Aptum est enim quæ v. 211-15 cecinerint mulierculæ, eas non eadem iterum in v. 239-241 recantavisse. Sententiarum autem paritas nihil habebit aut incommodi aut inelegantiæ, si putabuntur cum Thebanæ in simillimam fere formidinem omnes incidisse, tum Eteocles non universum chorum, sed ternos deinceps Thebanarum globos ordine et seorsum a pavore deterruisse, quo plus adhortamentis auctoritatis inesset. Itaque Muffii opinionem rejiciendam arbitror, qui Æschyli morem institutaque pro nihilo æstimans canentium ordinem conturbat, et v. 203-222 coryphæo, 226-241 autem parastatæ vindicat [2]. Nemini probabit fuisse interdum cum, respecto simul et despecto antistrophicorum connexu, choreutarum aliquis, assumptis multorum officiis, syzygiam continuo caneret unus, secundumque stropharum par scinderet, ut inde dimidiam partem binasque insuper strophas alii relinqueret. Longissime absunt a choricorum consuetudine ista conjectantium commenta. Miror etiam cur Muffio hemichoriorum principes cantantes fingere a v. 78 libuerit, quoniam ista cantatorum ordinatio multo quam pro hac dochmiaca parte elegantior sit, et ceterum rex ubique non unam aut alteram sed plures ex mulieribus compellare videatur (εὔχεσθε, 216 : — πύθησθε, ἁρπαλίζετε, 243). Sed haud scio an commum integrum coryphæo parastatæque crediderit, ut reliquis decem choreutis trimetros denos (245-63) exposceret. In quo etiam vereor ne rationis suæ amore captus sit. Singulos enim ex orchestra cum scena colloqui et minus sæpe evenit, et ipsis poetæ verbis significatur; in præ-

1. De hujus loci symmetria vide Weil, *Fleck. Jahrb.*, 1861, t. LXXXIII, p. 377 sqq (*Uber den symmetrischen Bau des Recitativs bei Æschylus*).
2. *Der Chor...*, p. 14.

senti autem fidem excedit. Non isto pavore agitantur Thebanæ qui protinus incitamentis disjiciatur; non metum solvunt ut quæque a rege increpatur; non promptæ sunt adhortanti, sed diu reluctantur, utpote quæ mentis impotes sint. Itaque chori princeps, cujus est pro sociis eloqui et agere, admonitionibus pertinaciter renititur ad deorum signa procumbens, ut ex v. 258 liquet (παλινστομεῖς αὖ θιγγάνουσ' ἀγαλμάτων); et, postquam tandem faciliorem se præbet, quietem silentiumque conistræ pollicetur :

σιγῶ σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον.

Quæ sententia unam quamlibet ex mulieribus dedeceat, quoniam, illa tacente, ceteræ in pavitando perstare possint, sed aptissime coryphæo referatur, cujus principale officium est, ut in ore habeo, ea efferre et exsequi quæ omnes aut exoptaverint aut decreverint.

Jam de primo stasimo disputandum est, quod Westphalius, quæ est in excogitandis similitudinibus pertinacia, ad Terpandrici poematis exemplar conformatum arbitratur [1], et ita inter hemichoria dispertitur [2], ut incertum reliquerit licentiusne sententiarum continuationem consecare an insolentius huc et illuc dimidias chori partes in cantandis melicorum frustulis adhibere maluerit. Caussam quoque Muffius quæsivit cur hemichoria de more instrueret, scilicet v. 369-74 non nisi coryphæo parastatæque delegandos esse [3]. Verum æqua portione dividi chorum non censeo. Ubi enim ab Eteocle jubetur de hyposcenio et deorum signis decedere (265-66) [4], non orchesticam figuram immutat, sed ternos proscenio angustius suppositos ordines extendit, in amplitudinemque dilatatur, quo majore gestuum saltationumque apparatu præstantissimum choricum canatur.

Ea est enim totius cantici natura quæ ad fabulæ peractionem proprie non conducat, neque voluntatum dissidia aut opinionum imaginumque discrepantiam recipiat. Immo vero melicæ orationis producitur cursus; est animorum simplex habitus, et, quamvis varie simul et egregie figuretur obsessionis excidiique fœditas,

1. *Prol. zu Æsch...*, p. 162-163.
2. *Ibid.*, p. 163-164.
3. *Der Chor...*, p. 16 sqq.
4. Perverse contendit Oberdickius chorum e scena in orchestram descendere (*l. c.*, p. 2).

hisce luminibus una tantummodo res illustratur. In primo stropharum pari quos pavores induant mulieres significant, tum spe magna tenentur non fore ut urbis conservatores dii aras deserere velint, quia nullam acceptiorem sibi civitatem devotioresque nusquam cives reperire queant. Quam chorici partem non alternis hemichoriis, sed iisdem chori personis mandandam esse ex ipsa verborum compositione lyricaque ratiuncula concluditur. Ubi oppugnantium impetum, saxorumque ex oppidi fastigio jaculationem chorus effinxit, tum versus ad Deos :

> παντὶ τρόπῳ, Διογενεῖς θεοί, πόλιν καὶ στρατὸν
> Καδμογενῆ ῥύεσθε (301-302).

Exquisitam enim Dircæi fontis aquam pro quo potu permutetis? Itaque (πρὸς τάδ'.... 312) hostium arma a mœnibus prohibetote :

> καὶ πόλεως ῥύτορες <ἔστε τ'> εὔεδροί τε στάθητ'
> ὀξυγόοις λιταῖσιν.

Jam cui non occurrit strophæ et antistrophæ α' inesse sententiarum processum qui actorum diversitatem repellat, et ejusmodi v. 301-302 et 319-20 esse ut non nisi ad unum eumdemque cantatorem transferri possint ?

In altero etiam et tertio stropharum pari urbium captarum imagines multæ sunt, velut feminarum captivitates, prædarum capturæ et convectiones, defensorum interitus, hostium huc et illuc concursationes, quæ in eumdem prope modum describuntur [1]. Ista autem locorum geminatio, si iisdem hemichoriis dabuntur, ineptissima erit; sin autem diversis ordinibus, ad fidem accedet. Propius est vero quæ ordo aliquis præ terrore finxerit, ea haud absimiliter ab altero, manente eodem publicarum rerum periculo, excogitari et exprimi. Ternos igitur stœchos statuemus, istaque cantatorum instructio inde confirmabitur quod, ut in id genus melicis jam vidimus [2], vix variatis sensorum formis delitescit argumenti simplicitas.

V. 369-74 plerisque criticis dividendos esse visum est et hemichoriis tradendos, cum speculatoris adventum prior ternio, regis

1. Cf. 326, 331, 340-341, 347, 351, 352, 359, 360-362, 363, sqq.
2. Cf. *Pers.*, 548-597, 633-671, 852-896. — *Suppl.*, 631-697 ; 776-824.

autem protinus alter nuntiet. Sed a senis personis trimetros gregatim pronuntiari nunquam patiar; itaque potiorem Weilii sententiam duco qui hosce choreutis singulis committit [1]; vel potius, quoniam sinistra nuntius, dextra vero Eteocles ingreditur, malim, cum Muffio [2], hemichoriorum principibus uti. Sed illius conjecturam invertam : itaque v. 369-71 parastatæ permittentur qui, in Æschyleis tragœdiis, aristerostatorum locum γ' sinistram intuens de more usurpare videtur, 372-74 autem coryphæo ad dexteriorem portam converso, ut in statione β' posito.

Qua arte v. 375 sqq. dispositi et ad lyricorum symmetram speciem sint ordinati, non meum est disputare, quia luculenter alii rem illustraverunt [3], et proprie hujusce libelli ratio non postulat. Ad interjecta melica venio quæ Westphalius vocare « epeisodische Chorlieder » optimo jure potuit [4]; cur autem inter choreutas distriburentur paucissimi quæsiverunt. Muffius unus, quod sciam, hemichoria, pro sua consuetudine, expedit [5]. Mihi autem aliter placet. Fac enim chorus in binas partes digeratur, sequitur ut hemichorium α' tres strophas, tres vero antistrophas hemichorium β' alternis cantare cogantur. Quod si igitur sic alternari vices et elegantissimum est, et materiam controversiæ non suggerit, quia cum arte Æschyli chorica constat, quî tu importunam sententiarum verborumque iterationes ferre poteris? Nonne eadem cantilena canetur si, postquam hemichorium α' in prima stropha dixerit

τὸν ἀμόν νυν ἀντίπαλον εὐτυχεῖν
θεοὶ δοῖεν, ὡς διὰ δίκας πόλεως
πρόμαχος ὄρνυται (417-19),

idem rursus in secunda stropha ægre mutatis vocabulis exclamabit

ἐπεύχομαι δὴ τάδε μέν σε τυχεῖν,
ἰὼ πρόμαχ' ἐμῶν δόμων.... (481-85)?

1. *Septem*, ed. 1867.
2. *Der Chor in den Sieben des Aischylos*, p. 15-16.
3. Vide Ritschl (*Fleck. Jahrb.*, 1858, t. LXXVII, p. 799 sqq) qui septem periodos in hunc modum conjicit : 24. 15, 15, 15, 27, 27. 24. — Cf. Weil, *Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 384 sqq.
4. *Prol...*, p. 9 et p. 189.
5. *Der Chor...*, p. 16-18.

Jam hemichorium β′ nonne tædio quoque nos afficiet cum hæc supra, in prima antistropha, precatus,

κεραυνοῦ δέ νιν βέλος ἐπισχέθοι (453),

mox in tertia antistropha molestissime adjiciet

βαλὼν Ζεύς σφε χάνοι κεραυνῷ (630)?

Extremum est igitur ut stœchos usurpemus, quorum numerus ceteroquin cum stropharum serie aptissime convenit. Jam vero simili tenore dicendi hosce uti nil mirum, cum eodem fere terrore conficiantur omnes choreutarum ordines, ut supra dictitavi, et, uno impendente oppugnatis exitio, communi animo consilioque futura concipiant et reformident.

Postquam Eteocles manus cum fratre conserere destinavit, sex trimetros recitat coryphæus (677-82), ut regem ab impio certamine deterreat. Sed frustra princeps chori auctor fit avocandum esse fraternum parricidium; itaque mulieres in misericordiam et preces ex pavore versæ, regis animum attrectare et mollire conantur, commumque incipiunt eximia arte confectum [1], dochmiacisque numeris inflammatum (686-708). Istud choricum rursus Muffius hemichoriis exposcit [2]; sed ego zygorum cantum instituere malim. Nam, si solida hemichoria concinent, cave ne ab mulierum venusta ordinatione quadratoque concentu commatici dochmii abhorrere videantur; sin autem hemichoriorum principes, vide quam intempestive iste coryphæi parastatæque singularis cantus coryphæi trimetros (677-82) sequatur, reliquorumque trimetrorum (712-18) recitationi præmittatur, qui non nisi ad eumdem coryphæum spectare possint. Ubi contra quaterni choreutarum ordines instruuntur dextrorsum sinistrorsumque haud procul a scalis segregati (velut in Supplicibus, 736-59), mulierculæ propius ad scenam accedunt quo validius Eteoclis mentem ad mollia piaque sollicitent. Deinde zyga canunt ita ut prior syzygia ad quartum primumque attineat; inferior autem, utpote paulo amplior, ad tertium et secundum, in quibus parastates coryphæusque versantur : unde et cantatores contrapositi manebunt, et novissima eademque gravissima verba, ut plerumque, dux chori faciet (705-8).

1. Vid. Weil, *Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 397.
2. *Der Chor in den Sieben...*, p. 18.

Jam vero de insequenti chorico (720-91), nemini dubium sit quin universo choro sit relinquendum. Tametsi enim terpandrica quæ fertur ratione non subigitur, inest huic stasimo liquidum aliquid quod strophicis intervallis superfunditur. Quid est igitur cur maligniorem partium responsionem, diversitatemque canentium conjectes? Quî tu antistropham secundam hemichorio β′, stropham vero tertiam hemichorio α′ credere audeas indissolubili nodo colligatas? Quod si hemichorii β′ cantum continuabis, de Æschyleorum choricorum lege nonnihil derogabis, et orchestica ratio nutu tuo regetur. Sin autem choreutarum summa utere, stasimum nostrum et stropharum copia et sententiarum metrorumque molli profluentia iis choricis consimile evadet quæ jam in Persis (65-139) et in Supplicibus (41-110; 524-99) invenimus. Quare enim istius modi cantione fabula Thebana carere possit, me latet, præsertim cum, comparatis adversariis, et constitutis quæ oppugnationis necessitas flagitet, intercapedo fiat mulierum molestiæ; unde adeo deflagret chori trepidatio ut nunc ad commemoranda præterita, et præsertim quæ Œdipus in exsecrationem filiorum precatus fuerit, animus competat. Illud igitur canticum ab iis minime distat ubi mythicæ vel historicæ res narrantur, de quibus jam pro indubitato habemus, propter melicorum scatebras orchestraeque pacationem, solidi chori dignitatem laxitatemque esse usurpandas.

Deinde in sermone qui est chori cum speculatore (792-821), trimetri sane ad coryphæum spectant [1].

Anapæsticum etiam systema (822-31), quo conficitur episodium [2], coryphæo credendum, quoniam ei partes datæ sunt ut anapæstos dictitet, et præterea necesse est cum solus recitatione impediatur, tum mulieres spatium sumant ad instruenda hemichoria, quorum unum Eteoclis funus, alterum autem Polynicis prosecuturum sit. Hemichoria enim prius disponi aptum est quam Eteoclis Polynicisque cadavera in scenam adferantur, ne, allatis feretris, indecora ferveat choreutarum discursatio. Ideo v. 832-45, sicut jam Albertio [3] et Muffio [4] potius fuit, hemichoriis relinquo.

1. Sic ipse conjecit Muffius (*Der Chor...*, p. 20-21); Heimsoethius contra summam canentium distinet (*Beitr...*, p. 39).
2. Sic quoque censuerunt Arnoldtius, Freericksius, Muffius, etc. — De horum hypermetrorum structura vide Klotz, *l. c.*, p. 41.
3. *L. c.*, p. 27. — De hujus autem conjectura post v. 845 binas excidisse strophas, cum audacius proferatur, silendum existimo.
4. *Der Chor...*, p. 22-23.

Nunc vero de v. 846-60 videndum, de quibus nonnullæ allatæ sunt dubitationes. Hosce enim antistrophicos esse Hermannus conjecit [1], quod Weilius [2], Kirchhoffius [3] et Wecklinius [4] ratum habuerunt; alii autem, ut Muffius [5] et Paleius [6], allœostrophos esse contendunt, quia iambica antistropha a logaœdo (852) exordiri soleat, neque numerorum pedumque discordia legitimam Æschyleorum choricorum artem præ se ferre videatur. Quibus ego protinus assentior. Itaque locum nostrum, dempta stropharum disparitate, hemichoriis tradendum esse non censeo, quæ Oberdickii opinio est [7]; neque cetera Muffii sententiæ suffragor [8], qui chorum universum adhibet, aut Wecklinii a quo choreutarum singulorum colloquium fingitur [9]. Hi enim trimetri, quamvis syllabarum longarum solutione accendantur et incitentur, tamen non nihil tragici sermonis retinent, et fratrum inferri corpora nuntiant. Quæ autem in scena agantur significare, ut de hisce versibus tantum loquar, cantatoris unius est, et inde etiam probatur quod recitator ille trimetrorum sociis imperat complorationem adoriri

ἀλλὰ γόων, ὦ φίλαι, κατ' οὖρον
ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν
πίτυλον........ (852-54).

Quanquam ego coryphæo non utar, ne, postquam v. 846-60 secundum paracatalogen declamitaverit, statim anapæstos insequentes (860-73) recitare cogatur. Itaque, si reputabimus ita collocari hemichoria ut horum alterum β' dextrum quidem cornu occupet, sed ad sinistram conversum sit, non male nostri trimetri hujusce hemichorii principi tribuentur, parastatæ scilicet, qui eam stationem tenet, unde quid in adverso geratur et qui sinisteriorem portam transeant optime cerni possit.

Deni isti trimetri et denis anapæsticis coryphæi dimetris (822-31) respondent, et quasi lyricam proodum commo præmissam claudunt (822-860).

1. *Æch. Trag.*, I, p. 155-156.
2. *Septem*, ed. 1867 et 1884.
3. *Æsch. Trag.*, 1880, p. 98-99.
4. *Fleck. Jahrb.*, 1883, 13ⁿ Suppl. b., *Über d. Technik....*
5. *Der Chor...*, p. 24 sqq.
6. *The Trag. of. Æsch.*, p. 322.
7. *Septem*, ed., adn. ad h. Vss.
8. *L. c.*, p. 24 sqq.
9. *Fleck. Jahrb.*, 1883, *l. c.*

Jam cui delegandi sint subsequentes anapæsti (861-73) non multi negotii est. Quemadmodum enim ex adverso agris parastates, sic contra urbem stat coryphæus, portamque intuetur qua cives ingrediuntur. Primus igitur appropinquantes procul Antigonen Ismenenque prospiciet

(ἀλλὰ γὰρ ἥκουσ'.... 861 sqq.).

Itaque et regiarum personarum adventum de more denuntiabit, et, postquam choro præceperit ut Furiarum inferorumque cantum præcinere incipiat, ipse virgines compellabit

(ἰὼ δυσαδελφόταται........ 869-73);

et tredeni isti dimetri quasi pro commi subsequentis lyrico prooemio erunt.

Ubi anapæstos dixit coryphæus threno, ut in Persis (918-930), præmissos, oritur carmen de quo mira prolata sunt criticorum reperta. Nam plerique [1] chorum quidem in duas portiones partiuntur, sed alii aliam cantus distributionem conjiciunt. Non illis parum est sedecim, octodecim, undeviginti, viginti, immo septem et viginti hemichoriorum vices alternare; dimidias stropharum partes et versus etiam in frustula dissecant, et, rejecta rhythmicæ musicæque rei ratione, reluctante sententiarum continuatione, certissimam Æschyli scripturam, velit nolit, in pulverem contritam vexant [2].

Abjecta igitur omni cunctatione, venio ad Muffii [3] sententiam, cui ratio subest acutissimaque commorum interpretatio. Optime intellexit carmen totum a v. 869 æque dividendum esse. Pars prior v. 869-87 complectitur, meritoque ὕμνος Ἐρινύος vocanda est; inferior autem inde ad v. 960 expansa Ἀίδου παιὰν dici potest. Jam v. 874-76 et 880-883 hemichoriis, 877-78 contra et

1. Vid. Hermann, *Æsch. Trag.*, 1859; — Schütz, *Æsch. Trag.*, 1809-1821; — Butler, *Æsch. Trag.*, 1812; — Bothe, *Æsch. Trag.*, 1831; — Ritschl, *Septem*, ed. 1853; — Wellauer, *Æsch. Trag.*, 1827; — Hartung, *Æsch. Trag.*, 1852-1855; — Westphal, (*Prol...*, p. 137-138; — J.-H. Schmidt *Die Eur...*, p. 336 sqq; — Wecklein, *Fleck. Jahrb.*, 1883, *l. c.*; — etc.

2. Bambergeri conjecturam (*l. c.*, p. 52-54), cum quindecim choreutas instruat, et quinquies et vicies choreutis singulis licentius concisa commata adscribat, omittendam opinor. — Albertii etiam opinionem (*l. c.*, p. 27-28) vix commemoro, quoniam utrum minores chori partes an viritim mulieres canentes servet, incertus permanet.

3. *Der Chor...*, p. 28 sqq.

886-87 hemichoriorum principibus tradit. Quæ mihi omnino probavit. Præterquam enim quæ jam supra constituerim hemichoria sedem suam teneant oportet, et inter canendum segregata maneant, ex ipsa verborum symmetria et concinentia liquet iambicas strophulas (874-76; 880-83) non nisi ad chori partes inter se contrapositas pertinere [1], anapæstos autem recitatoribus singulis et idcirco coryphæo parastatæque servandos, ut hemichoriorum præsidibus, disputationis, ni fallor, non eget.

Ternas autem consequentes syzygias (887-960), quas ipse Weilius, paulo ante inter chorum et sorores distribuere conatus, nunc orchestræ integras restituit [2], scholiastæ et omnium fere interpretum auctoritati confisus ego choro reservandos censeo; sed dimidiari placet, quoniam dimidiatio haud ambiguis alternantium indiciis [3], et copulativarum particularum vacuitate [4], et interjectis etiam logaœdicis trochaicarum strophularum clausulis firmatur [5]. Quando autem duodena inde commata exsistunt, duodenis etiam choreutis viritim esse committenda cum Mufflo arbitror, sicuti præterea solenne est commos et threnos non multarum vocum consensum, sed singularis potissimum doloris impetus recipere [6]. Jam vero, quia consentaneum est stropharum partes ab utriusque hemichorii choreutis deinceps vicissimque cantari, et qui exterioribus chori ordinibus annumerentur ideoque insigniores sint [7], eos majora simul et difficiliora melica sustinere, in hunc prope modum mulieres canentes inducam :

Stropha α′	ἡ	θ′
	ἡ	ια′
Antistropha α′	ἡ	ιϐ′
	ἡ	ι′
Stropha β′	ἡ	ς′
	ἡ	η′

1. Cf. enim ἰὼ ἰὼ δύσφρονες, φίλων ἄπιστοι... cum ἰὼ ἰὼ δωμάτων ἐρειψίτοιχοι..., — ἑλόντες cum ἰδόντες, — σὺν αἰχμᾷ cum σὺν σιδάρῳ.

2. Vid. *Septem*, ed. 1867 et ed. 1884. Kirchhoffius priorem Weilii divisionem suam fecit (*Septem*, ed. 1880).

3. διανταίαν λέγεις... (895).

4. Vid. v. 895, 911, 915, 922, 927, 947, 951.


5. Vid. v. 894, 906; 937, 950.

6. De threni lyrico sermone vide Westphal (*Prol. zu Æsch...*, p. 147), qui præcipue illustrat « Figuren der Anadiplose, des Wort-Parallelismus, der Satz-unterbrechung ».

7. Vid. Sommerbrodt, *Scænica*, p. 5-9.

Antistropha β'	ἡ	ζ'
	ἡ	ε'
Stropha γ'	ἡ	α'
	ἡ	γ'
Antistropha γ'	ἡ	δ'
	ἡ	β'

SCENA



CAVEA

Quare cantus per proximos scenæ regiisque cadaveribus chori versus nascitur, et sensim ad propiores caveæ choreutas serpit, donec ad scenam, Antigone et Ismene concinentibus, revertatur.

Sororum threnum, quem, ut plerique critici, a v. 961 ad v. 1004 produci opinor [1], ideo prætereo quia ad hujusce opusculi rationem non pertinet, statimque exodum adgredior; de qua concordes pæne inter se viros doctos libentissime deprehendo. Plerique priores anapæstos non choro solido, sed coryphæo tribuunt. Mihi tamen, super quod non gregatim anapæsti pronuntiantur, multa contrarie contendi videntur, siquidem chorus, ubi de Polynice misericordius hæc professus est

κεῖνος δ'ὁ τάλας ἄγοος
μονόκλαυτον ἔχων θρῆνον ἀδελφῆς
εἶσιν. τίς ἂν οὖν τὰ πίθοιτο; (1063-65)

non potest in partes contrarias dividi, simulque v. 1072-78 pronuntiare. Coryphæus autem, quamvis chori personam agat, æque

1. Vid. Westphal, *Prol...*, p. 145-146; — Muff, *Der Chor...*, p. 28-29; etc.

hemichorii vicarius est. Itaque tollet ferme sententiarum repugnantiam, si v. 1053-65 proferet tanquam pro ancipiti choro verba incerta faciens, et rursus v. 1066-72 dicet in locum hemichorii α′ suffectus, cujus vices sibi mandatæ sunt. Novissima igitur hypermetra non inter bina hemichoria, ut Hermannus Pauwiusque maluerunt, sed inter hemichoriorum principes, quæ potior est multorum interpretum conjectura, distribuentur. Simul v. 1066-72 coryphæus recitat, vertitur ad scalas, scenam conscendit, funus Polynicis cum sociis prosequitur, pedemque sinistra porta effert. Extremi contra anapæsti ad parastaten spectant, qui, comitante hemichorio β′, proscenium quoque petit, ut Eteoclis exsequias frequentet et dextra parte egrediatur.

CAPUT IV

AGAMEMNO

Quam multa in re metrica et chorica Æschylus repererit jam in promptu est cuilibet summatim complecti; sed majus tamen et exquisitius opus Agamemnoniam trilogiam adgredientibus explorandum est. Quæ ut argumenti simplicitatem sic dramaticæ fabricæ tria membra præbet, unde mira choricorum diversitas nascitur; et ad eam poetæ ætatem refertur ubi quasi ad summum decoris prudentiæque perductus erat, et artem suam callebat, utpote qui consummari semper conatus sit.

Ternæ Orestiæ partes quam apte cohæreant non meum est inquirere; protinus igitur prologum parodi anapæsticum attingere liceat. In quo interpretes, hoc sibi sumentes ut Æschylea verba ferro compescant [1] aut immixtis spuriis vocibus dilatent [2], hypermetrorum numerum majorem minorem faciunt [3]. Itaque omnes

1. Vid. Hermann, *Æsch. Trag.*, 1859, p. 367 sqq.
2. Vid. Bohle, *De Æsch. Agamemnonis primo chori cantico,* p. 14 sqq.
3. Hartungius (*Æsch. Trag.*, 1852-1855) et Panzerbieterius (*Phil.*, XII, 1857, p. 426 sqq.) decem periodos discernunt; Christius [(*Abhand. über die Teilung des Chors mit Bezug auf die metrische Form der Chorlieder* (*Abh. der Kgl. bair. Akad. des Wiss.*, 1877, p. 28 sqq.]) novem; Weilius (*Fleck. Jahrb.*, 1859, p. 723, et 1861, p. 385) quindecim; Klotzius (*l. c.*, p. 38-39) contra, Keckius (*Æsch. Agam.*, Leipzig, 1863, *Comment.*, p. 208-225), Krusius (*Zeitschr. f. d. Gymnasialw.* 1864, p. 225) et Mor. Schmidtius (*Zeitschr. f. d. Osterreich Gymn.*, 1864, p. 128) duodecin tantum, sed ex impari dimetrorum copia constitutas. Omissa etiam incerta systematum compensatione, de sententiarum cæsura adeo disputatur ut vel qui dimidiatum carmen esse existiment, impariter

lyrici prologi divisores [1], cum neque chori ordines neque ordinum præsides segregare queant nisi proodicos versus libidinose conturbent, verecunde valere jubeo. Valeant quoque illa partitionis indicia, unde dissimillimi inter se chorici motus conjiciuntur. Miror quî fidelem anapæstorum structuram disjicere critici sustinuerint, et sensorum imaginumque conglutinationem quasi in pulverem redigere. Occurrit enim quæ de Agamemnone et Menelao dicantur, simul ductam a vulturibus similitudinem inde ab initiis ad v. 67 porrigi, et melica ista per v. 67-71, tanquam per breviorem clausulam, exire. Quæ si quis pluribus senibus dare voluerit, metuo ne, ut eadem sæpius obtundam, quasi cognatas mentes finxerit, inter quas prius excogitatæ res sane commeaverint quam fuerint expressæ. Jam v. 72-82, ubi seniores de virium suarum imbecillitate queruntur, qua interclusi fuerunt quominus Atridum injurias ultum irent, ita priora producunt ut disjunctionis non egeant. Postremo v. 83-103, in quibus Clytemnestra compellatur, a quavis divisione tuti sunt [2]. Fac igitur anapæsti nostri in binas aut ternas partes prorsus inæqualiter scindantur, num tu stœchos statues, cum adsimiliore munere fungantur et chorus ceteroqui solitus sit κατὰ ζυγὰ in orchestram procedere? aut hemichoria primum compones, et statim circa initia hærebis? aut choreutarum cuilibet concedes ut reginam, protagonistam scilicet, adloquatur? Quare, ne impeditissima expedire cogamur, vindicandam esse jam in limine coryphæi auctoritatem [3] cum Her-

portiones definiant [Cf. Weil (*Jahrb. f. Phil.*, 1859, p. 723); — Fleischmann (*Fleck. neue Jahrb.*, 1866, *erster Heft,* 289 sqq.); — Arnoldt (*Der Chor des Agam.*, p. 7 sqq.)]. Quid igitur habet admirationis quasi per vepreculas nos incedere ubi de distribuendo cantu agatur, cum undique de angustanda aut laxanda fabulæ parodo turbetur (vid. Hermann, *Elem. doctr. metr.*, p. 575; et *Æsch. Tr.*, *II*, *Ag. Comment.* — J.-H. Schmidt, *Die Euryth...*, p. 146 sqq. — Weil, *Agam.*, ed. 1858 — W. Gilbert, *Agam.*, ed. 1874 — Wecklein, *Stud. zu Æsch.*, 1872, p. 100 — O. Müller, *Eum.*, p. 196 — Enger, *Agam.*, ed. 1863 — Keck., *Agam.*, ed. 1863 — Schneidewin, *Agam.*, ed. 1883)? Anapæstos Droysenius (*Æsch. Trag.*, 1868) ternis chori principibus adscribit; Christius (*Abh. der K. bair...*, *l. c.*) ternos quoque duces excogitat, sed ita distinet ut singuli singulas aut ternas deinceps periodos canant; Keckius (*Agam.*, ed. 1863) duodenos choreutas singillatim cantantes usurpat, stœchosque instruit.

1. Vid. etiam O. Müller (*Eum...*, p. 89) — Stippl (*Zur antistr. Resp. der anap...*, p. xxix).

2. De sententiarum cohærentia cf. J. K. Fleischmann, *Fleck. neue Jahrb.*, 1886, p. 289.

3. Ipsi coryphæo parum esse auctoritatis ratus Heimsoethius choro universo utitur (*Beitr...*, p. 39-43).

manno[1], Arnoldtio[2], Schneidewinio[3], Wecklinio[4] et Wilamowitzio[5] arbitror. Sic autem disputantibus cum dubia aperientur, tum elucebit quantopere noster locus in proodorum speciem assimilatus fuerit quæ in Persis et in Supplicibus obviæ sint[6].

Sequitur carmen (104-59) cujus ad exemplar nullum aliud apud Æschylum conformatum esse dixerim; ex syzygia enim et epodo constat. Quæ stropharum paucitas et citra ceterorum choricorum amplitudinem manet, et a solitis artis choricæ institutis desciscere videtur. Propterea criticis undique patuit conjecturarum via[7]. Sed istarum vide hariolationum caliginem! Quamvis sint omnia promiscua, tamen perspicuum est illud, non eorumdem esse epiphthegma qui jam strophas cantaverint[8]. Nunc qui possit in canendo difficiliore chorico, postquam anapæstos recitaverit, denuo distineri coryphæus minime approbandum : super quam enim quæ proprie sunt lyrica nunquam, submotis aliis, docetur, vereor ne tanto sit muneri impar, et incommodum fiat per tanta melica unius gesticulationem vocemque continuari. Jam, si aut hemichoriorum aut stœchorum duces usurpabis, cave ne, immutato vocabulo, rursus coryphæum labore distringas, singularemque cantum plus justo protrahas.

1. *Æsch. Trag.*, II, adn. ad v. 83.

2. *Der Chor des Agam.*, p. 10. — Sed primo recitari deinde cani anapæstos subtilius est quam ut recipiatur.

3. *Agam.*, ed. 1883, adn. ad v. 83.

4. *Agam.*, ed., p. 34, adn. ad v. 40-269.

5. *Aischylos Agam. von Ulrich von Wilamowitz Mœllendorff*, Berlin, 1885.

6. Cf. Hermann, *Æsch. Trag.*, II, adn. ad v. 103; — O. Müller, *Kl. Schr.*, I, p. 277; — Arnoldt, *l. c.*, p. 6; — Schneidewin, *Agam.*, 1883, *Einl.*, p. xxix.

7. Si quicquam credis Freericksio (*l. c.*, p. 29-30, adn.) et Wilamowitzio (*l. c.*, adn. ad h. Vss.), totum canticum coryphæi est, si contra Arnoldtio (*l. c.*, p. 21-22), optio tibi datur : aut enim dux chori toto munere per se fungitur, aut idem coryphæus binique ejus parastatæ ternas viritim chorici partes cantant; ceterum, ut ut hæc sunt, immutatum hoc fere modo a Droysenio epiphonema chorus universus concinit : αἴλινον, αἴλινον αὖτε, τὸ δ'εὖ νικάτω, quam mutationem nonnulli, ut Schneidewinius, Engerus, Keckius, etc., probaverunt. Jam Wecklinius ipse modo hemichoriorum duces et coryphæum (*Zeitsch. f. d. Gymnasialw.*, 1878, p. 490), modo unum parastaten adhibet, ut senum principi intervallum relinquatur, quo ab anapæstorum recitatione paululum interquiescat; tum de ephymnio cui tradendum sit mutatur in horas (*Fleck. Jahrb.*, 1883, 13ⁿ Suppl. b., *Über d. Tech...* — Cf. quoque Wecklein, *Agam.*, ed. 1888). Engerus (*Æsch. Trag.*, 1874) singularem cantum ambigue adfert, et Schneidewinius (*Agam.*, ed. 1883) minores chori partes conjicit, de quibus ipse reticet. Postremum Keckius (*Æsch. Agam.*, p. 225) singulas deinceps strophas cum versu intercalari conjunctas stœchorum præsidibus, ipsum autem versum stœchis solidis separatim adscribit.

8. Cf. Wecklein, *Fleck. Jahrb.*, 1883, 13ⁿ Suppl. b., p. 332.

Quæ cum ita sint, oblitterata jamdudum et alias mutabilior Hermanni sententia mihi omnino arrisit, stœchis scilicet syzygiam et epodum, choreutis contra universis ephymnia mandanda esse[1]. Quæ distributio, quemadmodum cum stropharum numero convenit, ita tripartito sententiarum agmine et chorica Æschyli consuetudine fulcitur. Ceterum stropha dexiostatis, antistropha laurostatis delegabitur; epodus autem, utpote amplior, in aristerostatas cadet. Inde ab lassitudine acquiescere coryphæus poterit, minusque negotium ut ordini suo commixtus sustinebit. Præterea quin ephymnia choreutarum concentum, sicut pleraque popularia istius modi cantica, expostulent, in dubitationem non venit. Quare opportuni fient transitus, et ab unius coryphæi recitatione primum ad quaternarum vocum, mox ad individui chori symphoniam res musica procedet; et quæ cantatorum consonantia jam in ephymniis tentata fuerit mox in insequente chorico diutius et uberius diffundetur.

Canentium enim universitatem in v. 160-257 desiderari omnium fere criticorum suffragiis conceditur[2]. Primum v. 205 quasi a v. 184 pendet, quoniam idem est ἄναξ ὁ πρέσβυς quam ἡγεμὼν ὁ πρέσβυς νεῶν Ἀχαιϊκῶν, et v. 185-204 pro incisis ducendi sunt. Jam antistropha δ′ et stropha ε′ ita sensorum serie devinciuntur ut ineptum fiat de choreutarum distinctione quærere. Ad hoc, tale canticum esse liquet quale non nisi largo flumine per aperta expeditaque labi queat. Itaque intervalla antitheticorum melica dicendi copia superat; ternæ inter se strophæ colligantur et extrema antistropha quasi clausula aut epodo conficiuntur[3]. Ceterum in considerandis Trojani belli portentosis initiis chorus versatur, hæretque ita in præteritorum commemoratione[4], ut choricum istud cum secundo Thebanæ fabulæ stasimo (720-91), ob rerum similitudinem et stropharum numerum, conferri possit.

1. *De re scenica*..., p. 14, et *Æsch. Trag.*, II, 273, adn. ad v. 103 : « Multo credibilius est hanc trium partium distinctionem ad tres στοίχους pertinuisse, atque haud scio an pauci ac fortasse non plures quam cujusque στοίχου medius, simul cecinerint stropham, antistropham, epodum; versum autem intercalarem αἴλινον... in stropha totus secundus στοῖχος, in antistropha totus tertius, in epodo vel totus primus vel omnes tres στοῖχοι cecinerint. »

2. Cf. Hermann, *ibid.*; — Keck, *Æsch. Agam.*, 1863; — Schneidewin, *Agam.*, ed. 1883; — Wecklein (*Agam.*, ed. 1888); — Arnoldtius unus (*Der Chor des Agam.*) ambiguum habet hemichoria servet necne.

3. « Tersinnartigen Verschränkung der Strophen », ait Weilius (*Fleck. Jahrb.*, 1864, p. 294).

4. Cf. Westphal, *Prol.*, p. 100.

Justum autem chorum in nostro quoque loco deposci vel istud docet quod, silentibus scena et orchestra, vix etiam incipiente tragœdia, quietis spatiique ad explicandos totos cantatorum ordines abunde est.

Consummata parodi ἐμμελείᾳ, tandem Clytemnestra senis trimetris inclamatur, qui coryphæo pro consuetudine servandi sunt, quia, ut crebro usurpo, præcipuum ejus officium est insignes de scena personas adloqui. Quorsus autem Keckio hemichoriis usus fuerit omnino me fallit [1] : nusquam occurrunt choricarum partium compensationes, neque colloquia libramento stant. Sed ut uni actori unum quoque de orchestra respondere par est, sic ex rogationibus responsisque sermocinantium duplicitas apparet. Itaque primum episodium ex integro Clytemnestræ et chori principi haud dubie tribuetur (257-355).

Anapæsti etiam, quibus episodium absolvitur (352-66) [2], rursus coryphæo dabuntur [3], quoniam ex usu est, et ipse deorum precationem his verbis prænuntiavit :

> ἐγὼ δ'ἀκούσας πιστά σου τεκμήρια
> θεοὺς προσειπεῖν αὖ παρασκευάζομαι (352-53) [4].

Deinde primum stasimum (367-487) non ita multæ operæ est. Quamvis enim solidam chori copiam Arnoldtius expedire velit [5], haud facile cuiquam illud probabit, cum subjungatur epodus, et pro certissimo sit, propter naturam coloremque, et universas syzygias non eorumdem cantatorum esse quam epodum, et cho-

1. *L. c.*, p. 256.
2. Cf. Freericks, *l. c.*, p. 24. — Hæc contra systemata pro proodo habet Reisigius (*Conjectan. in Aristoph.*, I, p. 269).
3. De istorum hypermetrorum structura vide Klotz, *l. c.*, p. 40. — Cf. Schneidewin, *Agam.*, ed. 1883; — Wecklein, *Agam.*, ed. 1888; — Arnoldt, *Der Chor d. Agam.*, p. 27; — Weil, *Agam.*, ed. 1858.
4. Hæc igitur systemata ab universo choro (Heimsoeth, *Beitr...*, p. 11-12) tardius, a stœchorum ducibus (Keck, *l. c.*, p. 271) contra aut ab « sub-choro » (Verral, *Agam.*, ed. 1889) dici subtilius quam pro re est. Nostrorum enim anapæstorum ea est ratio quæ, sive metrorum fabricam, sive rerum connexum dispicias, tripliciter dividi non possit. Ceterum quis sit iste Verralii « sub-chorus » plane non novisse fateor. Postremo, quæ Christii opinio est, eidem coryphæo simul præmissos dimetros (351-354), et anapæstica hypermetra propter rhythmi immutationem non committi, nimiæ diligentiæ videtur, quoniam, ut iambi recitantur, sic anapæsti, quæ est lyrica factura, secundum paracatalogen sæpissime declamitati sunt.
5. *Der Chor...*, p. 38.

ricum istud hoc fere modo quo simillima Persarum[1] et Supplicum[2] melica esse canendum. Deinde cave ne hemichoria cum Keckio constituas[3], quibus rei scenicæ simplicitas repugnat perinde ac narrationis lyricæ (410-26) in stropha et antistropha β′ interjectæ perpetuitas. Constat enim carmen non solum antistrophicorum distinctione sed etiam argumenti ratione trifariam fuisse partitum. Primum concelebratur quam vehementer Jupiter in eos invehatur qui, sicut ipse Paris, despecta aurea fortunæ mediocritate, insolenter jura et justitiam conculcaverint; posthac describuntur Helenæ fuga, Menelai desideria, et narratur fugitiva nullam in Trojanos aliam dotem contulisse nisi civium patriæque exitia; postremo inter alia subobscura jacitur jam publica odia in Atridas insurgere, Jovisque fulmen iis gentium domitoribus impendere quorum decus nimio sanguine emptum sit. Quocirca trigeminum stasimum ternis chori ordinibus, ut auctor est Wecklinius[4], tribuo, sed ephymnia rhythmica[5], quibus antithetica concluduntur, nolim, cum eo,[6] individuo choro demandare. Namque et a versibus intercalaribus omnino distant, et ita inhærent in materiæ lyricæ natura, ut cantatorum diremptum respuant[7]. Quare integris stœchis integræ syzygiæ deinceps concredantur.

Jam vero epodica clausula (475-87) inter quos distribuenda sit difficilioris disquisitionis est. De cujus natura optime G. Hermannus dijudicavit : « Qui carmen, quod in Agamemnone est, a v. 375 attente consideraverit, facile, spero, adducetur, ut epodum, quæ in fine addita est, non a toto choro cantatam sibi persuadeat. Nam in strophis atque in antistrophis magna sunt omnia, et gravia, sententiisque egregiis plena : in epodo autem illa nihil nisi dubitatio aliqua injicitur de fide nuncii : quæ res non modo mirum quantum diversa est ab iis, quæ ante dicta erant, sed omnino ita comparata, ut ineptum videatur hujusmodi suspicionem, quam ab uno alterove in medium afferri decebat, magnifice conjunctis universi chori vocibus decantari[8] ». Quapropter quattuor commata conjicit Hermannus (475-78; 479-82; 483-84; 485-

1. V. 633-680; 852-906.
2. V. 776-835.
3. *L. c.*, p. 287 sqq.
4. *Äsch. Or.*, p. 57, adn.
5. 381-384, 399-402; 416-419, 433-436; 452-455, 471-474.
6. *Äsch. Or.*, p. 57, adn.
7. Longe alia sunt quæ in Supplicibus notavi (1018-1052).
8. *Elem. doctr. metr.*, p. 727.

87), eaque inter reliquos quattuor protostatarum choreutas dispensat (ex quindenis enim senibus chorum constituit) tacente μέσῳ ἀριστεροῦ, cui sequentes trimetri (489-502) mandabuntur [1].

Sed ego O. Muellero assentior qui, quamvis commaticam esse epodum opinetur, tamen tres tantum partes discernit [2]. Qui enim a subtiliore proposito digredi, et vel cursim v. 483-87 perlegere voluerit, eum non fallet insecabiles esse hos versus, ubi carpantur incautiores ad credendum mulierum animi. Itaque ternæ particulæ, quandoquidem a v. 357 chorus tripartito instructus manet, non nisi stœchorum principibus, aut cuipiam stœcho deferri possunt. Atqui, si stœchorum duces usurpabis, vide ne novissima eademque maxima epodi portio (483-87) nimium eum chori præsidem gravet, cui rursus proximi quattuordecim trimetri erunt delegandi; si contra tribus stœchis deinceps utere, præter quam insolenter istam choricam rationem commentus eris, et minime simul cum epodo cantatorum immutatio fiet, observa ne denuo nimium sustineat onus coryphæus, tanquam aristerostates et choreutarum princeps bis canere coactus. Ego vero inexploratam viam inire non dubitabo. Ut enim ex ternis partibus constet chorus, tamen ordinum gradus conservantur, et præsertim cum auctoritate tum orchestica scientia protostatæ valent. Quoniam autem quilibet stœchus quattuor tantum senes complectitur, terna epodi commata ad reliquos tres primarii stœchi cantatores referentur, trimetri autem coryphæo reservabuntur. Itaque, quo facilius ex æquo temperetur vocum concordia, sic portiunculas distribuam:

Protostatæ δ δ′

Epodus {
πυρὸς δ'ὑπ′ εὐαγγέλου....... ἐστί πῃ ψύθος.
δ α′
τίς ὧδε παιδνὸς................ λόγου καμεῖν;
δ γ′ (Parastatès)
γυναικὸς αἰχμᾷ............... ὄλλυται κλέος.

1. *Opusc.*, t. VII, *Über Zwei Recensionem von K. O. Müller*, p. 46-47. — Hermannum comprobant Arnoldtius (*Der Chor d. Agam.*, p. 41 sqq) et Schneidewinius [(*Agam.*, ed. 1883). — Quattuor quoque Engerus commata conjicit (*Agam.*, ed., p. 33, adn.), sed qui sint singuli choreutæ in ambiguo relinquit]. Wecklinius præterea (*Fleck. neue Jahrb.*, 1883, 13ⁿ Supplement-bande, p. 215 sqq. — Vide etiam *Agam.*, ed. 1888) utrum coryphæum binosque ejus parastatas, an bis hemichoriorum principes statuat immutata commatum divisione, anceps manet. Quid postea? Keckius (*l. c.*, p. 291) « ein Peloton-feuer durch die Chorreihen » excogitat, epodumque inter duodenos choreutas viritim distribuit.

2. *Götting-Gelehrt.*, 1834, n. 198-199.

Trimetri { ὁ β' (Coryphæus)
τάχ' εἰσόμεσθα............. τὴν ἁμαρτίαν.

Maximum irreverentiusque epodi comma in parastata reponetur, qui præcipuus a coryphæo est; trimetrosque princeps chori recitabit, ut viatoris accessum de more significet, spatiumque in legitimas stationes consedendi sociis relinquat.

Ubi vero præco, patriæ solo diisque salutatis, Agamemnonis adventum præfatus est, sermonem cum choro instituit (538-635); cujus partes si quis coryphæo eripiet [1], nimio plures ex orchestra collocutores finget; præterea non vitæ imaginem sed tumultuantium et quasi exclamantium exprimet, dictaque abrumpet quæ plane sensu careant nisi ex unius mente et ore orta sint.

Secundi stasimi (681-781) non perardua erit exploratio. De explicanda choreutarum summa critici consentire videntur [2]; in quorum sententiam pedibus eo. Perpauca tamen addere liceat. Lyrico decursu patet argumentum et simplex et unum, totumque in Helena ejusque nequitiis ponitur. Quæ postquam leænæ catulo æquiparatur, ipsa ex re perspicitur servandum esse similitudinis tenorem, ideoque tres strophas, quibus contineatur (719-49), iisdem cantatoribus vindicandas. Hæc eadem ad extremam stropharum triada spectant, ubi prædicatur quam infestissimam sibique simillimam Ὕβρις prolem procreet, et quo gaudio justitia fortunatas ædes fumigatis domunculis mutare soleat. Ceterum, nuntiata Trojæ captura, appropinquante Agamemnone, fabulaque nondum intricata, ea sunt orchestræ tempora quæ uberiorem melicorum copiam amplioremque sonorum concinentiam ferant.

Jam longiorem anapæstorum tractum (782-809), quibus compellatur Agammemno, sunt qui diversis choreutis tradunt. Christius ea in sena systemata dirimit, quæ, tanquam antithetica, ter hemichoriorum principibus alternis tribuit [3]. Keckius, ut solet, ternos suos « Reihenführer » adhibet [4]. Sed ego cur, in tanta partitionum diversitate [5] et præter consuetudinem, in animum quisquam

1. Heimsoethius unus universo choro utitur (*Beitr*..., p. 50); Arnoldtius contra (*Der Chor*..., p. 50), Gilbertius (*Agam.*, ed. 1874), Wecklinius (*Agam.*, ed. 1888), nonnullique alii coryphæum sibi advocant.

2. Vid. Arnoldt, *Der Chor*..., p. 48; — Wecklein, *Agam.*, ed. 1888; etc.

3. *Teilung des Chors*..., p. 37.

4. *L. c.*, p. 332.

5. Sic schema suum constituit G. Hermannus (*Agam. Æsch. Trag.*, I; vid. h. vss.) : 6. 3, 3. 4. 2, 3 1/2. 2 1/2. — Stippelius (*Zur antistr*..., p. xx) : 7. 3. 3. 4. 2. 4. 2. 3. — Weilius : 2, 3, | 2. 3. 2. 4. 2. 4. 2. 3. — etc.

induxerit antistrophicam periodorum responsionem in hisce hypermetris reperire satis mirari nequeo. Itaque locum nostrum, cum solertissimis interpretibus [1], coryphæo retribuo, ne auctoritate sua defraudetur, et alius sortiatur principale hocce munus regias de scena personas adloquendi, de quo supra dictum est, neve etiam sententiarum continuatio dissolvatur quæ vel eluscatis sole clarius refulgeat. Idem enim choreuta necesse est timeat citra extrave reverentiæ gaudiique fines stare (782-89), sed acrioribus regiæ mentis oculis confidat, ut vera ab falsis discernantur (790-98); præterea ipsorum lætitia, licet pridem in ulciscenda Helena segniorum, tantum gravitatis quantum fidei ingenuitatisque præ se ferat (799-809). Hanc sensorum verborumque summam qui disjungere molietur, is individua corpuscula concidet.

Ubi Agamemno domum subiit, Clytemnestra per ambages hæc loquitur :

> Ζεῦ Ζεῦ τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει.
> μέλοι δέ τοι σοὶ τῶνπερ ἄν μέλλῃς τελεῖν (973-74).

Hic chorus imminentia regiæ mala quasi subodorans animi tristitiam frustra discutere conatur, et obscuriora simul atque luctuosa canit (975-1034). Quod carmen hemichoriis a Keckio creditum [2] non tempero quin choro solido restituam [3]; opinioque mea, ut apparet, ex ipsa carminis exploratione exsistit. Quoties enim chorus æqua portione diducitur, intercidit quoddam animorum discidium, aut ea res agitur in scena quæ choreutarum segregationem requirat : itaque vel canentium vera duplicitas manet, vel chorus prope actores glomeratur, quo facilius eos quasi circumplectatur, et pompæ tragicæ particeps fiat. Quorum nihil ad nostrum canticum pertinet. Scena tantum non vacua est, quoniam pertinaciter Cassandra silentium obtinet; nondum fabulæ nodus impeditur; nullæ rerum vices acciderunt; et, quando stant quiescuntque omnia, ambiguas tacitasque futuri prædivinationes prodit chorus. Quis igitur locus hemichoriis rite collocandis?

Ipsa porro Æschyli verba excute. Chorus nempe ait se indomito quodam terrore affici (975-77), calamitatum quasi prænuntium

1. Vid. Schneidewin, *Agam.*, ed. 1883; — Wecklein, *Agam.*, ed. 1888; etc.
2. *L. c.*, p. 127-133.
3. Cf. Arnoldt, *Der Chor d. Agam.*, p. 50-52.

cantum contumaciter intus accipere ex quo Argivæ naves ad Trojanam terram adpulerint (978-87), et, quamvis nautas, re fauste feliciterque gesta, reduces oculis cernat, tamen præmetuere dolum et, ut ita dicam, secum Furiarum funebrem cantilenam præaudire, neque ad spem adduci posse (987-93). Nonne ordine et ratione ista concludi videntur? Nonne, si quid vel aliquantulum divellas, abrumpatur lyricæ argumentationis series, indissociabilemque unitatem disjicias? Jam vero, ut stropha β′ non efficta sit ad similitudinem istorum versuum (750-81) qui jam conjunctis chori vocibus indiguerint, nonne occurrit ea in fine cantici excogitari et explicari (1019-33) quæ totius non autem dimidiati ideoque imminuti chori auctoritatem poscant? Ad summam, cum fatetur chorus, nisi supervacuum habeat fatorum ordinem ab æterna via declinare, futurum fuisse ut regem de prædivinatis infortuniis certiorem fecerit, utrum divisi an legitimi chori vocem audis? Num tu dimidiæ canentium parti hoc consilium dabis quo et nodus fabulæ expediri, et ipse Agamemno effugium mortis adsecutus esset?

Sub chorici finem Clytemnestra ex ædibus egreditur, Cassandramque jubet intro abire; dein reluctantem superbe relinquit (1047-68), chorusque misericorditer servæ suadet morem dominæ gerat (1069-71). Sed fatidica flebiliter queritur quod ab Apolline in regiam ita pridem sanguine delibutam compulsa sit (1072-97); tum Agamemnonis ipsiusque mortem vaticinatur (1100-72). Quæ quidem omnia inter choreutas diversissime a criticis dispertita sunt. G. Hermannus primo iambicos tragici diverbii trimetros (1047-71) coryphæo permittit [1], de melicis autem versibus sic censet : « singulos deinceps choreutas, et primos quidem novem solos iambos dicere; decimum et undecimum, magis jam commotos ab iambis transire ad dochmios; reliquos quattuor deniqne vehementissime perturbatos solis dochmiis horrorem suum prodere [2] ». O. Muellerus [3] trimetros (1045-1111) singulis choreutis κατὰ ζυγὰ locatis mandat, reliqua autem senibus ita concedit ut sexies bini concinant. Westphalius [4] diverbium lyricum ex integro coryphæo committit. Keckius [5] v. 1047-71 zygorum du-

1. *De re scen.*, p. 14.
2. *Ibid.*, p. 14-15.
3. *Eum.*, Gottingen, 1883, p. 77-78.
4. *Prol...*, p. 193.
5. *L. c.*, p. 373 et 393.

cibus demandat, solidum vero commum Cassandræ et universis choreutis relinquit. Arnoldtius quoque[1] v. 1047-71 senum principi impertitur, de commaticis contra versibus subtilius disserit quam ut prosit ejus repertum commemorare. Denique Wecklinius[2], quamvis v. 1047-71 coryphæo dederit, huic rursus iambica commi disticha adscribit, sed melica choro individuo expostulat.

Mihi vero ista omnia non placent. Hermannus et Arnoldtius male chorum ex quindenis senibus constituunt; Muellerus ineleganter zyga ordinat, sexiesque cantatorum paria insolenter conjicit; Westphalii, Keckii et Wecklinii conjecturas tacitus prætereo, quia aut unum coryphæum aut eumdem simul cum legitimo choro usurpare a commaticorum choricorum natura aversissimum.

Itaque quæ ipse excogitaverim nunc aperiam. Primum notatione dignum peccavisse omnes qui post v. 1071 quasi murum interjectum esse putaverint. Immo quamdiu præsens in scena adest Clytemnestra, non reginam sed Cassandram compellat chorus; quare trimetri omnes, quibus orchestra fatidicam hortatur in ædes regias ingrediatur (1047-71), cum subsequentibus conjungendi sunt (1072-1113). Nihil igitur habes quod brevissimum episodium ante diverbium statuas; sed minime a vero deerrabis, si tanquam commi prolusionem a v. 1047 definies, quandoquidem chorus orationem ad Cassandram vel silentem convertit. Nullum rei tragicæ discidium intervenit, sed argumenti scenicæque personæ unitas totum aliquid efficit ex binis partibus concretum (1047-1177).

Jam nunc deprehendere licet, eo usque dum iambica disticha cum dochmiis consocientur (1119), duodecies chorum verba facere, unde singularis senum cantus concludi poterit, quia duodenos viritim canere et in numerum choreutarum legitimum et in commi rationem consuetudinemque quadret[3]. Singulos præterea cantitare ex ipsa rerum verborumque iteratione liquet[4]; quæ non nihil molestiæ habebit, si eorumdem orationem conjicies, in recto autem animorum habitu erit, si plures in iisdem tragicis temporibus similiter loquentes finges.

1. *Der Chor d. Agam.*, p. 58 sqq.
2. *Äsch. Or.*, p. 101, adn.
3. Cf. *Pers.*, v. 931-1001; *Sept.*, v. 888-960.
4. Cf. enim πείθοι'ἄν, εἰ πείθοι'.... (1049); — πιθοῦ λιποῦσα τόνδ' ἀμαξήρη θρόνον (1054); — ἴθ', ὦ τάλαινα, τόνδ' ἐρημώσασ' ὄχον (1070); — ἑρμηνέως ἔοικεν.... (1062); — χρήσειν ἔοικεν.... (1082); — ἔοικεν εὔρις.... (1093).

Quæ cum ita sint, non ita magni laboris est priorem carminis nostri partem distribuere. Postquam enim Cassandram Clytemnestra nequicquam herilia tecta inire jussit, consentaneum est aristerostatas, ut primas tenentes præcipuoque decore honestatos, reginæ quasi socios accedere, et quæ illa imperaverit, eadem quoque suadere et hortari. Atque eo veritatis speciem sequor quod distichis trimetris bini terniones intermiscentur. Primus autem ternio (1047-49) ad parastaten deferetur; extremus contra ad coryphæum, quoniam et ea dicit quæ ad chori vicarium attinent

ἐγὼ δ'ἐποικτίρω γάρ, οὐ θυμώσομαι (1069),

et Cassandræ solus silentium vincere valet. Deinde insequentia quattuor iamborum paria (1074-89) non immerito singulis quattuor laurostatis relinquentur, qui, tanquam mediocres mediique stantes, has sustinebunt chorici partes ubi nondum divino spiritu tacta serva Apollinem tantum flebili voce quater implorat. Sed ubi in fatidicos furores exardescens præterita facinora memorat, proximam conjugis jugulationem prænuntiat, ancipitemque chorum de prædictorum ambagibus præbet (1090-1113), hic quaterna disticha non male quaternis quoque dextri ordinis senibus dabuntur.

Alteram vero cantici partem (1114-77) melicorum pulchritudine et cantatorum ordinatione præstare nemini mirum sit. Namque ternæ syzygiæ et a præmissis lyricis et inter se ita absimiles sunt ut ternos quoque canentium ordines deposcere videantur. In prima (1114-35) pingitur sacro afflatu inflammata Cassandra, ubi jam perspicuis oculis regiæ parietes quasi transiit, cantum Furiarum triumphalem præsagiens, taurique in balneo jugulati interitum prospiciens, dum interea chorus pavorem concipit, atque dolet quod non jam obscura mala regiis ædibus intendantur. In altera syzygia (1136-55) muliercula funebrem suî cantilenam exorditur, senesque mirantur quod ipsa enthea facta jam νόμον ἄνομον præcinat, et horrores suscipiat, quasi proximi interitus tentamenta; deinde in novissima ominatur Cassandra sese mox apud inferos vaticinaturam, suumque occasum Trojæ excidio accedentem luget; senesque jam non ambigua disquirunt, sed agnoscunt in femineum pectus mortis auguria inimicique dei impetum irrupisse.

Quare tripartitum carmen ad ternos quoque chori ordines spectabit. Cum autem ultima iambica disticha a dexiostatis cantata sint, credibile est rursus cantum a protostatis cœptum esse donec

ad tritostatas processerit. Quæ conjectura eo veri est similior quod in primo stropharum pari bis bini interponuntur trimetri, quos nemo est qui coryphæo renuat. Sic enim et singulari cantu a comitibus sejungetur, et ipse paululum sese a dochmiorum necessitate et impotentia relaxabit, quos certum est non nisi imbecillis timidisque mulieribus ab Æschylo traditos esse [1]. Ceterum, ubi trimetros declamitaverit, dochmios quoque sociis primi ordinis immixtus canet. Reliquæ autem syzygiæ primo ad laurostatas, deinde ad dexiostatas pertinebunt; et carmen summa ratione confectum [2] ab iamborum sedatione et a singulorum recitatione primum ad Cassandræ pacatos senum trimetris dochmiacos numeros, deinde ad legitimos dochmios et ad concordem stœchorum concitationem compelletur [3].

Commum excipit Cassandræ chorique colloquium (1178-1330) quod, pro mea consuetudine, coryphæo, licet amplissimum, cedam. Nulla enim in hocce episodio quadratæ compositionis indicia invenias; sermonisque partes inæquabiliores sunt quam ut ex iis libratio fieri queat [4]. Nihil est igitur cur aut zygorum aut stœchorum principes in mentem tuam veniant, quia imparia parium ordinum ducibus munia tribuantur. Cave insuper variis chori versibus deinceps gregatimque dicendi potestatem facias, ne sermocinantium insolentia rem tragicam conturbes. Singulorum præterea choreutarum meminisse noli, quia responsorum numerus a senum numero discrepet, et inique inconcinneque colloquentium globi sese in episodio continuent. Quare vel parastaten in sedem coryphæi interdum sufflci, nulla personarum, nulla orationis immutatione interveniente [5], mihi displicet. Unum ex orchestra eloqui scripta ipsa declarant. Jamdudum enim Cassandra dixit

καὶ σύ μ'ἐν τάχει παρὼν
ἄγαν ἀληθόμαντιν οἰκτίρας ἐρεῖς (1240-41),

cum coryphæus

ὦ τλῆμον, οἰκτίρω σε θεσφάτου μόρου, ait (1321).

1. Exceptis tamen Persis (268 sqq), ubi perpaucissimi dochmiaci numeri ignavioribus senibus, ut Asia oriundis, dantur.
2. Vid. Weil, *Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 399.
3. De iamborum dochmiorumque conjunctione vide Weil (*Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 401-402).
4. De versuum permutatione vide *G. Hermann*, *Weil*, *Keck*, *Wecklein*, *Kirchhoff*, *Paley*, etc.... Ego vero, cum omnibus fere editoribus, Hermanno suffragor.
5. Vide contra Verral (*Agam.*, ed., adn. ad v. 1295).

Dein novissimos episodii trimetros (1327-30) Cassandræ servandos esse [1], quamvis a quibusdam choro tribuantur [2], arbitror. Non quod extremas servæ voces sapientia frigide redundare velim; sed mulierem tragica virtute præstantem fortiter et composite mortem obire decet, et de miserrimis Agamemnonis rerumque humanarum vicibus potiusquam de ipsius sorte morituram queri [3]. Deinde v. 1330, si ad coryphæum deferetur, plane sensu carebit et iterato verbo οἰκτίρω vitiabitur [4]. Quid etiam quod ista oratiuncula graviter habita proximis chori sententiolis (1331-34) importune continuabitur? Anapæsti choreutarum principi de more tradentur, quoniam, ut de hypermetrorum structura dissentiri possit [5], tamen pro explorato est rerum seriem insigniri, et eamdem personam reposci.

Nunc impeditissimum fabulæ locum adorior, de quo vix est credibile quam diversissima critici hariolati sint. Ubi enim ex ædium penetralibus clamor iste ejulatur

ὤμοι, πέπληγμαι καιρίαν <πλευρῶν> ἔσω (1343),

ab omnibus fere interpretibus conceditur (Heimsoethium ipsum a turba non sepono [6]) statim senes in commune congredi et consulere utrum in regiam irruant subsidio clamitanti ituri, an in orchestra maneant; sed quæcumque interpretando explanantur dissonum quiddam efficiunt ac tumultuosum [7]. Quo remoto, tene-

1. Cf. Arnoldt, *Der Chor....*, p. 63; — Enger, *Agam.*, ed. 1874; — Paley, *The Trag. of Æsch.*; — Wecklein, *Agam.*, ed. 1888.
2. Cf. Weil, *Agam.*, ed. 1858; — Keck, *Agam.*, ed. 1863; — Kirchhoff, *Æsch. Trag.*, 1880.
3. Cf. Paley, *The Trag. of Æsch.*, p. 451-452, adn.
4. Cf. v. 1241, 1321 et 1330.
5. Vid. Hermann, *Æsch. Trag.*, II, p. 476-7; — Weil, *Æsch. Choeph.*, 1860, præf., p. VIII, et *Jahrb. f. Phil.*, 1859, p. 72-9, et *Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 380-381; — Keck, *Agam.*, ed.; — Klotz, *De numero anap.*, p. 40.
6. *Beitr...*, p. 17.
7. Schützius (*Æsch. Trag.*, 1809-1821), Bothius (*Æsch. Trag.*, 1844) et Butlerus (*Æsch.*, *Trag.*, 1809-1816) quattuordecies hemichoria usurpant. Margoliouthius (*Æsch. Agam.*, Londini, 1884) v. 1346-1357 et 1358-1359 antistrophicos putat, reliquos vero denis choreutis singillatim impertitur. Albertius (*l. c.*, p. 15-16) deliberantes κατὰ ζυγὰ instruit, de choreutarum autem numero silet. Hermannus scholiastarum auctoritate nisus [« ὁ δὲ Τραγικὸς ιε', ὡς Αἴσχυλος 'Αγαμέμνονι » (*Schol. Aristoph. Eq.*, v. 589); — « τοῦτο οὐ πρὸς τὰς τρεῖς, ἀλλὰ πρὸς τὸν χορόν· ιέ γὰρ ἦσαν. » (*Schol. Eum.*, v. 575)], quindenos choreutas viritim consulentes fingit, et binos binis opponit, « secundo tertium, quarto quintum, sexto septimum, octavo nonum, decimo undecimum » (*Opusc.*, Lipsæ, 1827, t. II; *De choro Eum. Æsch.*, p. 130-132). Hermanno paucis fere

bris dare lucem conabor. Primum autem Hermanni conjecturam, ex quindenis scilicet personis constare chorum, repellendam puto, licet scholiis firmatam. Minime mirandum si cantatorum numerus scholiastas fefellit. Ut enim singula de agendis fabulis diligentissime inquisierint, in Æschylum transtulerunt quæ Sophocleæ consuetudinis erant, eo præsertim tempore quo in immutanda choricorum inveterata consuetudine valde hærebant poetæ. Dein dubitatio tollitur ubi ceterarum tragœdiarum ratio exploratur, et duodenos tantum fuisse senes, cum ex verborum interpretatione tum ex præmisso commo (1047-1113), et consimiliore Eumenidum consilio (585-609), velut mox ostendetur, colligi potest. Denique patet quattuor tetrametros quasi episodii proodum esse, et senes post v. 1347 tantum, quem rhythmorum, personarumque mutatio sequitur, perrogari, et suffragia in v. 1370-71 computari. Quod autem ad cantus distributionem spectat, secundum Wecklinium [1] sentio, simul Agamemnonis clamor subaudiatur, coryphæi anapæstos recitantis quasi os a choreuta aliquo opprimi :

σῖγα· τίς πληγὴν ἀϋτεῖ καιρίως οὐτασμένος;

De cujus dignitate, quoniam principi chori silentium, ut ita dicam, indicit, non addubitandum, ideoque dimidiati chori dux, parastates scilicet, et secundarum partium erit. Rursus tamen, exclamitante

mutatis, assentiuntur Blomfieldius (*Agam.*, ed. Londini, 1826), Wellauerus (*Æsch. Trag.*, Lips., 1823-1824), Karstenius (*Agam.*, ed. Trajecti ad Rhenum 1855), Engerus (*Agam.*, ed. Lips., 1855), Hartungius (*Æsch. Trag.*, 1853-55), Arnoldtius (*Der Chor d. Agam.*, p. 65 sqq), Kirchhoffius (*Æsch. Trag.*, 1880) et Muffius (*Fleck. Jahrb.*, 1883, p. 23). Si credis Dindorfio (*Philol.*, 1863, p. 27), quindecim quidem choreutas Æschylus adhibuit, sed eorum deliberationem Clytemnestræ adventu post duodecimi sententiam incidit, ne impudentior aut ignavior chorus videretur. Muellerus contra (*Eum.*, p. 76 sqq) auctor est non nisi duodenos choreutas verba fecisse, verum tetrametros zygo vindicat. Quem nonnulli licentius tamen imitantur. Klausenius (*Agam.*, ed. Gothæ, 1823) quasi senum factiones conjicit, sed obscurius sejungit. Bernardhyus (*Griech. Litt.*, II, p. 633) tetrametros coryphæo et binis « der Chorzuge » ducibus exposcit. Bambergerus (*De carm. Æsch...*, p. 28 sqq, et 56-57) et Weilius (*Agam.*, ed. 1858 et 1884) v. 1344 et 1346-1347 coryphæo mandant, reliquos vero choreutis singulis, ita tamen ut rursus princeps chori deliberationem concludat (1370-1371). Denique Keckius (*l. c.*, p. 426) sic colligit : « Die 3 Tetrameter von 3 verschiedenen Personen und zwar die ersten von 2 gleichgeordneten, der dritte von dem Chorführer gesprochen sind. » De ceterorum opinionibus, quoniam nihil inest singulare, tacendum censeo. — [Vid. Schneidewin, *Agam.*, ed.; — Gilbert, *Agam.*, ed.; — Paley, *The Trag. of Æsch.*; — Theodor Heyse, *Die Orestie des Æsch.*, Halle, 1884); — etc.]

1. Vid. *Fleck. Jahrb.*, Suppl. VII, p. 432 sqq., et *Agam.*, ed., p. 119, adn.

rege, coryphæus, ut par est, initium consultationis faciet (1346-47), idemque sententias trimetris expressas duodecimus ipse de more colliget.

V. 1399-1400 quin ad coryphæum pertineant, spero, non disputabitur, adeo in oculis positum est gravius asperiusque quam pro quovis sene objurgari Clytemnestram. Ceterum trimetri non chori universi [1], sed choreutæ unius sunt, utpote ad dictionem non autem ad cantum accommodati.

Jam dochmiacum stropharum par (1407-11; 1426-30), quod tanquam proœmium subjuncto lyrico diverbio præmissum est, neque coryphæo [2], neque parastatæ [3] concedetur. Nunquam chori dux, ut idem decantem, per se nisi anapæstos recitat aut canit, et secum illud pugnat eum dochmiacis furoribus nunc intumescere qui, sicuti planum fiet, jam in eo sit ut ad anapæsticorum numerorum malaciam residat. Parastates præterea ad duplicatum onus subendum non satis firmus sit, et inconcinne exoriatur commus, si ab alterius hemichorii principe prælusio tentetur. Sed hemichoria, id est canentium paritatem probabit rerum cognatio, siquidem furor ex cæde conceptus (1427) est quasi animi impotentia mortifero poculo infusa (1407-1410), et ἀπόπολις δ'ἔσει — μῖσος ὄβριμον ἀστῶν (1410-11) idem fere vult quam ἀτίετον ἔτι σε χρὴ στερομέναν φίλων — τύμμα τύμματι τεῖσαι (1429-30).

Nunc ipsius commi quot scripturæ tot pæne choricæ enodationes in promptu sunt. Permulti conjecturas conjecturis cumulaverunt [4], quas, ut molestissimi sit laboris meminisse, ita, si recolas, caligo offundatur animis. Itaque prætermittenda ista puto, statimque loci nostri emendationes adgredior. Hermannus quædam post v. 1458 excidisse ratus, ita rem digerebat quasi v. 1455-61 stropha, 1537-50 antistropha essent. Quam divisionem, a Weilio quoque laudatam [5], ideo rejiciendam opinor quod Æschylea verba vexat, et strophica ab antistrophicis nimio intervallo disjungit, et canentium responsionem, interjacente etiam majoris ephymnii [6]

1. Sic enim censet Heimsoethius (*Beitr...*, p. 9).
2. WECKLEIN, *Agam.*, ed., p. 123, adn.
3. ARNOLDT, *Der Chor d. Agam.*, p. 77-78.
4. Vid. G. HERMANN, *De re scenica*, p. 14-15, et *Æsch. Trag.*, II, p. 486; — O. MÜLLER, *Eum.*, p. 78; — ARNOLDT, *Der Chor...*, p. 75 sqq.; — WESTPHAL, *Prol. zu Æsch...*, p. 18; — J.-H. SCHMIDT, *Die Eur...*, p. 198 sqq.; — BAMBERGER, *l. c.*, p. 29 et 55.
5. *Agam.*, ed. 1858 et 1884.
6. V. 1489-1496; 1513-1520.

repetitione, indistinctam inelegantemque relinquit. Potiorem igitur Kirchhoffii rationem duco qui v. 1455-61 et 1538-46 pro ephymniis habens, priores quidem post primam antistropham (1468-74), alteros autem post tertiam (1560-66) repetit [1]. Et sane illud præcipua nota distinguendum, haud semel evenire ut Clytemnestra in partibus anapæstorum antitheticis non solum chori antistrophæ sed etiam versibus intercalaribus respondeat; quod responsum omnino non intelligatur, nisi epiphthegmatica post antistropham iterentur. Si quis enim secundum ephymnium (1489-93), de quo nulla dubitatio incidit, diligenter exploraverit, occurret hisce chori verbis prioribus

κεῖσαι δ'ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ'
ἀσεϐεῖ θανάτῳ βίον ἐκπνέων

Clytemnestram in primo anapæstico systemate reponere

αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὖργον ἐμόν·

sed novissimas chori voces

ὤμοι..... δολίῳ μόρῳ δαμεὶς

non nisi in anapæstis antisystematicis, post epiphonematis geminationem, redargui :

οὐδὲ γὰρ οὗτος δολίαν ἄτην
οἴκοισιν ἔθηκ';

Ad eumdem istum modum, postquam chorus asperius Helenam tanquam multorum apud Trojam jacentium vere interfectricem nomine inclamavit, statim Clytemnestra contra jacit

μηδ' εἰς Ἑλένην κότον ἐκτρέψῃς..... (1464 sqq),

cetera vero chori dicta

.... πολύμναστον ἐπηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον

non nisi in systemate anapæstorum antistrophico ita confutare conatur :

ἐκ τοῦ γὰρ ἔρως αἱματολοιχὸς... (1478 sqq).

1. Cf. Wilamowitz, *Ind. schol. hib. Gryph.*, 1879; — Wecklein, *Jahrb. neue*, 13ⁿ Suppl. b., p. 230-232.

Quod si præterea alia tertii ephymnii condicio est, hoc deprehendas velim consimiliora in binis hujusce partibus cani, et verba

τίς ὁ θάψων νιν; τίς ὁ θρηνήσων;

eadem fere significare quam

τίς δ'ἐπιτύμβιος αἶνον....... πονήσει (1548-50);

ita ut Clytemnestra satis habeat si semel hæcce sic revicerit :

οὐ σὲ προσήκει τὸ μέλημ' ἀλέγειν
τοῦτο..... (1551 sqq).

Itaque in extremis anapæstis (1568-76) extremam quoque chori stropham (1560-66) ad memoriam revocat, de ephymnii vero sententiis, velut jam reprehensis, tacet. Quæ cum ita sint, Kirchhoffii rationi assentior primum ephymnium tertiumque suo quodque loco redintegranda esse; attamen, quoniam primum multo ceteris brevius sit, planeque sensu indigeat, si per se stet, Hermanni Weiliique conjecturam accipio, post νῦν δὲ τελείαν (1458) disperditas fuisse quasdam voces, inter quas sane verbum fuerit quod, post participium ὀλέσασ', Helenam recte impugnet et in anapæstici responsi fine, ut cetera, sub vocabulis ἀξύστατον ἄλγος ἔπραξεν lateat. Ceterum melicum epiphonema, velut reliqua (1494-95; 1548-50), ternionis ambitum non exsuperet necesse est. Quod si igitur mea conjectura non nimium a vero abscedit, omnia ephymnia vel minime inter se distant, siquidem a flebili exclamatione initium capiunt et absentem, sive viventem sive autem mortuum, adloquuntur.

Nunc vero inter quos cantus distribui possit Wecklinius acutissime judicavit : « Die Chorpartieen bestehen immer aus drei Teilen, von welchen den ersten die drei στοῖχοι (jeder στοῖχος ein Strophenpaar), den zweiten der Koryphaios, den dritten der Gesamtchor vorzutragen scheint [1] ». Maximam partem in hanc sententiam abeo. Ternæ enim syzygiæ inter se singulæ lyrico argumento discrepant : prior præsertim in teterrimum Tantalidarum genium invehitur; altera fatorum Jovisque voluntatem celebrat, Clytemnestram familiaris dæmonis adjutricem acerrime impetit; tertia denique quid de facinore æstimandum sit hæret,

1. *Äsch. Or.*, p. 126, adn., et *Jahrb. neue*, 1883, *l. c.*

æternamque legem memorat qua vicissim scelera scelestique sese excipiunt. Quæ disparitas trigeminorum choricorum speciem materiamque declarat, et cum animorum repugnantia consentit quæ ex deliberatione patuit. Quare nulla caussa est cur a ratione mea et ab ipsius Wecklinii doctrina discedam, triplicia hæcce melica ternis etiam chori ordinibus esse concedenda. Ephymniorum quoque alteram partem, pro Æschyli consuetudine et meo instituto, choreutis universis committo.

Sed in anapæstis paululum immorari liceat. Ante omnia vereor ne molestissimum et a re musica alienissimum fiat, si coryphæus sexies velut chori princeps, et bis etiam tanquam primi ordinis choreuta, canere cogatur. Sin autem illius chori personam agat qui ab initiis exclamaverit

> φεῦ τίς ἄν..... μόλοι τὸν ἀεὶ φέρουσ' ἐν ἡμῖν
> Μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον.... (1448-51),

quî poterit denuo iisdem fere verbis ad desperationem redigi

> ἰὼ γᾶ γᾶ, εἴθ' ἔμ' ἐδέξω... (1538)?

Nonne etiam in duobus hisce locis

> κεῖσαι δ'ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ' (1516)

et

> πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου
> δροίτης κατέχοντα χαμεύνην (1538-39),

simile quiddam sonat, ut assuevit Æschylo, ubi eadem tragicorum temporum ratio permanet, imagines tantum picturasque rerum, prout personæ mutantur, immutare? Postremo nonne tria hypermetra perlegenti elucebit ab ἰὼ et ab inclamatione omnia exordiri, hancque orationis similitudinem præ se ferre unde ejusdem argumenti perpetuitas simul atque personarum diversitas soleant significari? Deinde, cum ephymniorum hypermetra ob ipsam reiterationem quasi antistrophica appareant, hoc eo valet ne ea coryphæo vindicemus, cujus est in commis [1] et in episodiorum fine aut principiis non nisi astrophica systemata recitare. Has igitur antitheticas anapæstorum periodos stœchorum principibus exposcam. Cantus a dexiostatis incipiet, primo ephymnio ad

1. Vide *Choeph.*, 305-314, 340-343; 371-379, 400-403.

eorum ducem pertinente, sensimque ad aristerostatas transferetur. Præcipuus autem iste chori versus maximum summumque stropharum par canit, et quid fabula admoneat magnifice declarat :

φέρει φέροντ', ἐκτίνει δ'ὁ καίνων.
μένει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς
παθεῖν τὸν ἔρξαντα· θέσμιον γάρ (1560-2).

Ceterum coryphæus, non ut chori vicarius sed ut protostatarum princeps, amplissima hypermetra declamitat (1538-46), et, postquam ceteri reliquorum stœchorum duces sive Helenam sive Agamemnona compellaverunt, ipse, quæ est nominis officiique gravitas, confidentissime Clytemnestram increpat :

ἦ σὺ τόδ' ἔρξαι τλήσει, κτείνασ'
ἄνδρα τὸν αὑτῆς ἀποκωκῦσαι..... (1543-44).

De ultimo episodio non quidquam fere dicere ausim, quoniam nimis adulteratum est [1]. Ita v. 1614, 1627 et 1634 ad unam normam sunt informati ut antistrophicorum speciem referant, et loquentium diversitatem testentur. Quare si librorum scriptura recipietur, ista episodici commi commata minime hemichoriorum quæ Hermanni opinio est [2], sed zygorum primariis viris tradam, quos sic propemodo statuam β', δ', α', γ', ut amplissimæ partes ad coryphæum et ad parastaten spectent. Deinde tetrametri trochaici non stœchorum [3], verum coryphæi erunt, quem decet socios ad arma vocare et ad vim Ægisthi repellendam præire. Quamobrem ille et interfectoris minas irridebit (1653), et Orestæ adventum vaticinabitur 1667, qui jam ab parastata similiter fere exoptatus erat (1646-48). Inde igitur nimia locorum vicinitas dicentium discrimine excusabitur, et post chori divisionem, quæ solet in rebus simul cum scena agendis et in ardentissimis jurgiis aut in luctuosissimis fabularum temporibus evenire, rursus, sub tragœdiæ finem, choreutæ, loquente coryphæo, quasi recolligentur.

Quæ tamen omnia, propter librorum corruptelas, nisi pro conjectaneis non adfero.

1. Antitheticum fuisse asseverat Hermannus [*Æsch. Trag.*, II, p. 497. — Cf. contra Arnoldt (*Der Chor d. Agam.*, p. 82)] nonnullasque lacunas conjicit, quo arctius paria paribus exæquentur. — Kennedyus (*Agam.*, ed. Cambr., 1878) v. 1633-1635 pro spuriis habet.
2. *Æsch. Trag.*, I, p. 222-223.
3. Vid. Bamberger, *l. c.*, p. 63-64.

CAPUT V

CHOEPHORI

Ad alteram trilogiæ fabulam pervenimus, quæ, ubicumque melica ad supra enodatorum effigiem composita erunt, facilius explanabitur. Statimque parodus [1] cum canticis quæ jam vidimus tripartita esse epodoque producta [2] conferetur. Ubi enim chorus, ex mulieribus captivis quidem sed ortus ingenuitate præstantibus constans [3], in orchestram processit [4], qua de caussa adsit edocet; simul haud procul a proscenii margine, ubi Agamemnonis sepulcrum positum est [5], in hyposcenii scilicet vicinitate explicatur. Hic vero carmen canit quod ipsa rerum diversitate in particulas digeritur. Nam in priore syzygia pristina novissimaque memorantur, ut a principiis de fabulæ argumento certiores fiamus; dein regia depingitur nubilo terrore involuta, et ab antiqua majestate delapsa; mox de sanguine nefarie effuso terraque exhausto disseritur, qui neque ad vitam revocari, neque aquarum defluviis elui possit. Illud autem canticum ad chori partes pertinere inde haud

1. De isto cantico, utrum parodus sit necne, vide quæ disputavit Ascherson (*De parodo et epiparodo tragœdiarum Græcarum*, p. 7 sqq.).
2. *Pers.*, 633-680; 852-906; — *Suppl.*, 776-835; — *Agam.*, 367-487.
3. Quænam sint istæ mulieres diversissime judicium fecerunt Weilius (*Choeph.*, ed. 1860, p. 3-4) et Ekkerus (*Dissert. de choro Æsch.*, p. 89).
4. Paleius cur chorum ex orchestra in scenam deducat nullam rationem reddit (*The Trag. of Æsch.*, p. 489, adn.). Quapropter mulieres, ante Electræ adventum, in orchestram non per scalas, ut mavult Hermannus (*De re scen...*, p. 9), sed solita via, quæ Zerneckii opinio est (*De choro Soph. et Æsch.*, p. 26) ingressas esse, ibique cantaturas mansisse putandum est.
5. Cf. Hermann, *De re scen...*, p. 9.

immerito colligitur quod, non modo strophicorum intervallorum quasi prærupta distinctio et tertiæ strophæ et antistrophæ brevior præ ceteris et præter consuetudinem circumscriptio, sed etiam locorum similitudo elucent. Nemini enim subripit verba

τί γὰρ λύτρον πεσόντος αἵματος πέδοι; (46)

eodem fere spectare quo

δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ
τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν (66-7),

et præsertim

.... πόροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ
<προ> βαίνοντες τὸν χερομυσῆ
φόνον καθαίροντες ἔκλυσαν μάταν (72-4).

Ut etiam ista redarguantur, cui id non apparet in epodo rerum orationisque conversionem incidere, istamque clausulam non eodem pacto quo priora canendam esse, quia quæ sit mulieribus vitæ condicio enarret, et ad choreutarum solidum proprie attineat? Itaque Hermanni [1] inventum unam quamque videlicet stropham a binis mulieribus, epodicos autem versus ternis permittendos esse, pro nihilo æstimabo, quod a communi choricorum more desciscit. Sed tria potius stropharum paria stœchis, et epodum choro universo committam.

Jam, ubi Electra chorum in consilium adhibet quas precationes simul cum libamentis super patris tumulum effundere debeat, etsi omnes servas appellat, tamen una tantummodo ex orchestra respondet. Gravissima inter puellam coryphæumque solum communicari ex ipsis trimetris significatur, qui manifesta similiter continuati colloquii præbent indicia [2].

Insequentia autem breviora lyrica (152-62), quæ Agamemnonis pæana vocaveris [3], corruptiora videntur esse quam ut aliquid pro comperto asseverare ausim. Nam, quamvis nonnulla stichomythicæ fabricæ in episodio undique exstent vestigia [4], et in ipsa ista cantiuncula versuum metrorumque laxior quædam responsio prodatur, plerique editorum v. 152-62 pro allœostrophis duxerunt.

1. *De re scen. in Æsch. Or.*, p. 15.
2. Vide in primis 106-109.
3. παιᾶνα τοῦ θανόντος... (151).
4. Vid. Weil, *Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 380; et *Choeph.*, ed. 1860, p. 20, adn.

Wecklinius antitheticos esse negat [1], attamen multum addubitat utrum coryphæo omnes an hemichoriorum ducibus bipartito tribuat [2]. Sed ego a me obtinere nequeo ut sive coryphæum sive parastaten ad dochmiacorum numerorum perturbationem adducam. Nusquam in confesso est eos ad concitandos affectus ceteris præfuisse, et propter molliorem ad suscipiendos affectus naturam primarios exstitisse. Principatum contra chori tenuisse ambos credideram quod suî compotes essent, et ad istas tantum motiunculas fuisse proniores quæ anapæstice graviterque exprimantur. Nonne habebit aliquid offensionis si ardentissimum cantatorum ducem ab pæonici pæanis tumultu ad proximorum anapæstorum compositam quietem reducemus [3]? Nonne odiose cessabunt silebuntque reliquæ mulieres, si aut coryphæus unus aut bini tantum hemichoriorum præsides funebrem mortui cantilenam præcinent? Malignior quidem erit regis collaudatio. At enim, ceteræ threnum ejulationibus mœstissimisque gesticulationibus subsequentur [4]. Subtilia quidem reperta : sed de iis apud poetam altum silentium; immo in ipsius verbis confirmatius est illud ab Electræ comitibus ferale carmen concini (...ἐξαυδωμένας, 151). Ceterum me miratio incessit quod ἀπολελυμένοι versus dimidiantur, et inter hemichoriorum principes æque dispensantur tanquam antistrophici. Nunquam astrophica recipit ista choreutarum partitio; sed quemadmodum periodorum sic numerorum paritate coæquata antithetica prosequi solet. Itaque Hermanni [5] sententiam, quam Paleio approbavit [6], malim, scilicet locum nostrum in duas strophas dividendum esse, quæ, quamvis ex dochmiacis numeris magnam partem sint constitutæ, remissius, ut inter se respondentes, labantur et, sicut fere fit, dochmios ad unius aut ad paucorum cantum aptari, ab hemichoriis canantur. Inde et tolletur importuna singulorum cantantium paucitas, et ii motus chorici describentur qui rerum scenicarum participes feminas deceant. Equidem non minimi laboris erit antistrophicorum librationem statuere, sed caveamus ne alia monostrophica existimemus præter quæ in Septem [7] aut in Eume-

1. *Fleck. Jahrb.*, 1883, *Über d. Technik....*
2. *Choeph.*, ed. 1888. Sic autem partes distribuit : ἵετε δάκρυ... ἐξ ἀμαυρᾶς φρενός. — ὀτοτοτοτοτοτοτοῖ... νομῶν βέλη.
3. V. 306 sqq.
4. Wecklein, *Äsch. Or.*, p. 173, adn. ad v. 152-163.
5. *Æsch. Trag.*, II, p. 515, adn. ad v. 147-151.
6. *The Trag. of Æsch.*, p. 501-502.
7. V. 78-107.

nidibus [1] ad choreutas σποράδην vel segregatim in conistram procedentes sint accommodata.

De proximis episodici colloquii trimetris (167-82) et de iambico quinione (264-68) ubi fratres tacere jubentur, supervacuum puto disserere : ea est rogatorum responsorumque perpetuitas quæ non nisi in unum, ea est gravitas quæ non nisi in Choephororum ducem cadat.

Amplissimus vero commus (306-478), qui circa Agamemnonis tumulum concinitur, haud in promptu est inter quos dispertiendus sit, adeo de personarum vicibus quæstiò incidit. Chori strophas Hermannus [2] hemichoriis tradit; bina longiora anapæstorum systemata (306-14; 372-79) coryphæo mandat; breviora autem (340-44; 400-404) utrum idem coryphæus an « unus ex utroque hemichorio » pronuntiet in incerto relinquit. Bambergerus [3] satis habet si « plura indicia chori non totius » dispexit. Sed de his hactenus. Præstat enim de personarum alternatione quærere, et ante suo quemque loco cantatorem reponere quam partium distributionem disterminare conemur.

Primum vero v. 306-379 citra disputationem manebunt, quoniam plerique interpretes consentiunt sic constitui ut Orestæ Electræque antitheticæ responsiones stropha et antistropha chori bis intersecentur, et singulis fratrum syzygiis præmittantur subjunganturque anapæsti. Dein v. 380-422 quasi malum discordiæ fuerunt. Vulgo atque immerito, quantum opinio mea fert, strophæ δ′ et ζ′ Electræ dantur, Orestæ contra antistrophæ [4]. Weilius autem aliam iniit viam (a qua quidem in Teubneriana Æschyli editione ipse paululum sed non omnino deerravit, ut ad vulgatam vicium partitionem reverteretur), et quartum stropharum par Orestæ, sextum Electræ commisit. In quo vereor ne vir doctissimus solito ingenii acumine delusus fuerit. Quartæ strophæ liquet verba ad Orestæ tantum tempora esse, quia is est qui, ut e peregrino recens, solus ad ultionem submovendus sit, et, auditis extremis chori vocibus, quasi spiculo findatur et paterna in interfectores odia discat. Ceterum, ut antistropha δ′ utrinque inflecti et ad quemlibet fratrum, tanquam media et ab omni personarum

1. V. 255-275.
2. *De re scen...*, p. 15.
3. *L. c.*, p. 29-30.
4. Vid. C. H. Weise, *Æsch. Trag.*, 1843; — Paley, *The Trag. of Æsch.*, 1879; — Kirchhoff, *Æsch. Trag.*, 1882; — Dindorf, *Æsch. Trag.*, 1882.

documento vacua, spectare queat, vide ne stropha ζ′ Electram dedeceat. Ubi manibus inclamatur

> ... ἴδεσθ' Ἀτρει-
> δᾶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως
> ἔχοντα καὶ δωμάτων
> ἄτιμα (407-9),

quænam, precor, erunt istæ Agamemnoniæ stirpis reliquiæ procul a regia depulsæ, nisi subaudietur adolescens fortunarum heres vixque ab exilio redux? Antistropha etiam quemadmodum Electræ eripiatur prorsus me fugit. Nonne, cum canitur

> τί δ'ἂν φάντες τύχοιμεν οἷαπερ
> πάθομεν ἄχεα πρός γε τῶν τεκομένων (418-19),

acceptas domi injurias, et occisorum iras in filiam patris memorem a puella tangi occurrit? Nonne in rem est, cum fratrem de exilii malis, tum sororem de vita miserrime in cruentato domicilio anteacta queri? Utrum præterea de Clytemnestræ moribus tanquam pavore quidem ad libationes impulsæ, sed perquam insanabilis (420-22), certiorem fieri credis? Fratremne qui a tenero ab Argis exciderit, an virginem foco interfectoribusque jamdudum adsidentem? Rerum igitur series verborumque natura strophas δ′ et ζ′ Orestæ restituendas esse vincunt, Electræ antistrophas.

Huc etiam accedit quod inde ab initio usque ad v. 423, plane nihil variantur rhythmi, et omnia fratrum antistrophica ex logaœdicis glyconeisque numeris præcipue conflantur. Quare cum, post medios commi anapæstos (372-79), neque metrorum personarumque versatio neque etiam rerum scenicarum nova intricatio conjectari possit, quæ actorum compositio primo cœpta sit, eam usque perstare aptum est, ita ut strophæ omnes in virum vindicem, antistrophæ in feminam ultionis stimulatricem conferantur [1].

Jam quod ad alteram commi partem (423-55) spectat, longiore quæstione non eget, quando novissimi interpretes stropham et antistropham ζ′ choro et Electræ inverso ordine sese excipientibus dimidiatas concedunt, interjectum autem hisce antitheticis spa-

1. Vide quæ Wecklinius de antistrophicorum chorico ordine luculentissime disseruit in *Fleck. Jahrb...*, 1861.

tium Orestæ chorique vicissim sibi respondentium syzygia expleri existimant.

Commi clausulam, quia materiam disputationi non suggerit, prætereo.

Reliquum est ut de cantus distributione pauca edisseram. Jam exploratum est prælongum carmen in tres partes distrahendum esse : unam, quæ fratrum alternatas cantiones, adjunctis interjectisque chori anapæstis, complectatur (306-422); alteram, quæ rhythmorum immutationem, antistrophicorum ampliorem distinctionem, interversumque canentium ordinem præbeat (423-55); tertiam denique, quæ et omnium ex scena orchestraque in stropha et antistropha ι′ conjunctionem, et metrorum etiam in ultima syzygia de chorico more deinceps cantata variationem adferat.

Triplicem autem commi divisionem sequitur etiam triplex, ni fallor, cantatorum ordinatio. Wecklinius [1] v. 306-422 (ut de iis primum disceptem) disjungit, antecedentesque anapæstos quasi priori episodio adstruit; dein choro universo quæ sunt chori tribuit, majora anapæstorum systemata (372-79) coryphæo committit, minora autem utrum eidem coryphæo an parastatæ demandet hæsitat. Hanc ego rationem prorsus adsequi non possum. Haud temere enim Æschylus antisystematicos anapæstos orchestræ committit [qui in Persis (935-1001) et in Choephoris (1007-9; 1018-20) leguntur ita threnico habitu et melica metrorum licentia distinguuntur, ut nimium ab propriis anapæstorum moribus derogetur, nihilque inde conficiatur : ephymnia autem anapæstica [2], quoniam redintegrationis quidem, sed nullam antitheticæ compositionis speciem exhibent, prætermittenda opinor]; ubi autem antitheticos anapæstos orchestræ credit, sicut in Septem (1066-78), non ad unum eumdemque choreutam, sed ad hemichoriorum principes deferuntur. Quare latiora commi nostri hypermetra (306-14; 372-79) coryphæo, angustiora (340-44; 400-4) sive coryphæo sive parastatæ concedenda esse non censeo. Sed, quandoquidem chorus prope hyposcenium Agamemnonisque sepulcrum sinistra dextraque confluxit, et in rei scenicæ societatem adsciscitur, malim quaterna systemata quaternis zygorum principibus relinqui. Binarum præterea syzygiarum quattuor strophæ quattuor etiam zygis solidis deinceps dabuntur, ut moris est in

1. *Fleck. Jahrb.*, 1883, *Über d. Technik....*
2. In Agamemnonis commo (1455-1458, 1489-1493, 1538-1546).

commaticis canticis paucarum vocum consensionem quæri. Ceterum ne huic meæ explanationi obstare tibi videatur quod, cui strophica, eidem antistrophica non delegentur. Licentius audaciusque choricam rationem in Orestia tractavit Æschylus, neque semper simul cum antistrophicis antitheticam quoque earumdem personarum responsionem instituit. Vices sæpenumero variavit, velut ex Agamemnonis v. 104-159 vidimus, et ex Choephoris etiam v. 423-55 apparet, ubi modo choro Electra, modo Electræ et Orestæ quoque chorus respondet, et scenæ orchestræque in iisdem syzygiis partes alternantur.

Altera commi pars facilius enodabitur, quia ad trifariorum carminum formam liberius expressa esse videtur. Itaque priorem strophæ ζ′ portionem dexiostatis, inferiorem vero antistrophæ aristerostatis vindicabo, quorum potissima erunt hæc munia consilii finem facere, simulque Orestem ad capessendam ultionem compellere (453-55). Media autem syzygia, quæ minus ceteris patet, mediis chori choreutis, laurostatis scilicet, reservabitur.

Deinde quæ sunt inter fratres chorumque partita universo choro permittentur, ut ex ipsis poetæ indiciis liquet [στάσις δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιρροθεῖ (458)]. Denique ultima syzygia rursus canentium summam postulabit, quod choreutarum discidium minime cum sensorum perpetuitate congruat, ineptumque sit hunc commi exitum non a choro solido concini :

θεῶν <τῶν> κατὰ γᾶς ὅδ' ὕμνος (475).

Postremum anapæstica clausula (476-78) quin coryphæo tradenda sit, nemo sane dubitaverit.

Ita in universum perspicienti chorus primam commi partem κατὰ ζυγά, alteram κατὰ στοίχους instructus, tertiam expansis ordinibus canit; et cantus ab ternarum in quaternarum vocum cunjunctionem primo crescit, ut mulierculas universas ad extremum amplectatur. Ceterum quemadmodum initium, ita cantici finem coryphæus facit.

Videamus jam porro reliqua. Ubi dictitatur a choro properato opus esse, enarraturque quibus somniis excitata perterritaque ad occisi conjugis tumulum piacula miserit Clytemnestra (510-53), trimetri omnes coryphæi sunt. Neque istud in controversiam venit, quoniam concisam interdum Orestæ percontationibus expositionem (527-31) non nisi idem narrator pertexere potest.

Primum quoque stasimum (585-651) extra certamen est. Postquam enim intro abiit Orestes, tacente proscenio, nihil est caussæ cur chorus in ordines suos diducatur, ut rem scenicam sive adjuvet sive quo exoptet regat. Immo vero, vacua manente scena, amplificetur in conistra theatralis pompa oportet; itaque jam non improbabile est ibi summam tragici ludi verti, omnemque canentium copiam ostentari, ne quid dramaticæ dignitatis imminuatur. Veritatisque similitudinem capit hæc conjectura, ubi lyrica potius quam tragica excutitur argumenti natura. Quot enim quantaque pessima amor genuerit facinora, etsi ad fabulam spectat quæ a scelere orta scelere etiam concludetur, tamen non nihil Euripideorum canticorum præbet carmen illud, proprieque ad universorum choreutarum consensum aptatur, cum et in illustrandis mythicis rebus versetur, et multum spectaculi decori prosit, et tum maxime canatur ubi, imminente ultione, oraculis vindicisque virtuti confisæ servæ paululum ab ira et a præparando piaculo remitti queant.

Exinde vero subeuntes tertium episodium anapæsti (719-29) satis commode impertientur. Quorum v. 719-21 Wecklinius [1] coryphæo, reliquos toti choro servat. Sed hæc sententia periodorum ordini [2] et assiduæ Æschyli consuetudini repugnat. Neque cito anapæstica quædam dixeris quæ cantatorum solidum expostulent. Mihi vero hypermetra ista quasi cantici prolusio videntur esse, quoniam preces continent sicuti pleraque hujuscemodi astrophica [3]; carmen autem ad quod cantandum chori princeps socios cohortatur (719-21), sive excidit, sive potius nutricis adventu præpeditur. Totum igitur systema choreutarum duci relinquetur.

Sequentes quoque trimetri (730-80), quibus prænuntiatur nutrix, eademque compellatur et jubetur Ægisthum suadere ut satellitibus incomitatus veniat, ad coryphæi solita munia referuntur : in proprio enim officio est quoties actorum ingressum significat, aut imperat, et ad rem scenicam, velut actor ipse, confert.

Secundum stasimum sæpissime erraverunt qui de chorico apparatu egerunt [4]. Sed peropportune evenit ut Kirchhoffius v. 789-93,

1. *Choeph.*, ed. 1888.
2. Vid. Klotz, *l. c.*, p. 41; — Weil, *Choeph.*, ed. 1860; — Stippl, *l. c.*, p. xxiv-xxv.
3. *Pers.*, 532-547; 628-632; — *Suppl.*, 625-729; — *Septem*, 822-831, 1054-1059; — *Agam.*, 355-356.
4. Sic enim totum Hermannus (*Æsch. Trag.*, I, p. 257-258) descripserat ut v. 789-793 et v. 827-830 pro stropha et antistropha β′ essent, et v. 806-811,

806-12 et 827-30, velut ephymnia, post antistrophas novissime duplicaverit[1]; quod Weilio[2], Wecklinio[3] mihique probavit. Trochaico enim cantico æquabiliter defluenti logaœdicam trochæisque distinctam mesodum interponi, et stropham ab sua antistropha totius fere stasimi spatio sejungi usui artique Æschyli plane absonum est. Quare, quoniam insolentissima ista melica, de quibus disceptatur, strophas demum excipiunt, haud verum excedit ea post antistrophas, sive librariorum neglegentia sive signorum repetitionem declarantium ignorantia, fuisse amissas. Sic vero emendatum carmen, quia ad trigemina cantica natura accedit, tribus chori ordinibus, Wecklinium imitatus[4] committam; ephymnia contra choro solido credentur. Quæ cantantium partitio ex ipsa versuum intercalarium iteratione emanat, et cum aliis quæ jam vidimus aut videbimus hujuscemodi choricis optime consentit[5]. Choreutarum præterea ordo is erit : primam syzygiam dextrostatæ canent; tertia autem, utpote aliquanto uberior adjunctaque ephymnio quo Orestæ ad expetendam pænam stimuli adduntur, aristerostatis, tanquam chori primatibus, delegabitur.

Posthac advenienti ex agro Ægistho coryphæus iambico ternione affatur (848-50), eodemque animo, quo nutricem ad dolos fraudemque impulerat, regem in vindicis laqueos trudit.

Mox ipse, postquam adulter domum subiit, anceps manet quid fata decernant; in prece totus est, et ab Jove efflagitat ne radicitus stirps Agamemnonia a patrio solo avellatur (855-68); cui quo modo anapæstorum aliquid abradatur omnino me fallit, siquidem præcipuo munere fungatur quoties sive personas salutabundus sive Deos præsertimque Jovem precabundus appellet.

Idem denique iambicum quaternionem (871-75) recitat, ubi incertas omnium spes denuo promit, comitesque, ut ceteris præfectus, procul a scena recedere prudenter jubet, ne quam infectæ rei rationem reddere cogantur.

tanquam mesodus, medio cantico insererentur. Quæ stropharum descriptio usque ad Kirchhoffium omnibus editoribus placuit; sed alii aliter choreutarum partes definierunt : « a v. 772 (783), inquit Hermannus (*De re scen.*, p. 15), liberioris formæ carmen ex quattuor stropharum paribus et mesodo est, ut incertum sit quot choreutæ singulas strophas cecinerint ». Bambergerus (*l. c.*, p. 65) novem strophas « a choro in tres ordines diviso cantatas esse » existimat.

1. *Æsch. trag.*, 1880.
2. *Æsch. trag.*, 1884.
3. *Äsch. Orestie*, 1888.
4. *Ibid.*, p. 214-15.
5. Vid. *Suppl.*, 111-175; — *Eum.*, 321-396.

Postremo quemadmodum, ejulante intra Ægistho, episodium vere tragicum quattuor trimetris inchoaverat, ita bis cruentatum iambico ternione (931-34) concludit, lætaturque quod regia propago, de qua modo gravissimam curam suscepisset, haud penitus deperierit.

Subjunctum autem stasimum choricæ ansas dat enodationi. Ex binis enim collatum est syzygiis, in quibus arctior verborum concinentia maxime perspicitur [1]. Similia autem similibus contraponi et, in antistrophicis, strophicorum sive sententias sive vocabula ipsorumque vocabulorum sonum referri proprie ad æque divisi chori cantum pertinet. Itaque in errorem minime rapietur si quis chorum, qui a v. 872 procul ab proscenio secessit, in medium rursus procedere, et in hemichoria instrui putabit, ut strophas antistrophasque alternis cantet. Ad hanc Hermanni [2] sententiam Wecklinius [3] accessit et ipse suffragationem adfero. Illud præterea argumenti loco ponitur ex dochmiacis strophas collectas esse numeris, quibus opportunior fiat vocum paucitas, et canentium deminutionem propterea desiderari quod ad concinendos versus intercalares necesse sit mulieres mox conjungantur. Ex quo enim Verralius in chorico nostro epiphthegmata latere suspicatus est [4], et Kirchhoffius [5] Wilamowitziusque [6] poetæ scripturam restituerunt, ephymnia in legitimam sedem reducta sunt. Quæ qui universo choro renuet rem choricam turbabit omnem, et epipthegmatica pariter ac antistrophica nullo discrimine habebit.

Strophulas contra anapæsticas (1007-9; 1018-20), quæ mœstissimis Orestæ narrationem sententiis concidant, vix est qui choreutis universis credere velit, adeo hypermetra etiam lyrica omnem cantatorum congregationem reformidant. Quapropter ne hemichoria quidem libenter instituam, veluti frequentiora quam ut hosce numeros vel secundum paracatalogen recitent. Hemichoriorum duces ad melicam istam recitationem melius faciunt; quorum stropham coryphæus, antistropham vero parastates sibi sument, ita ut quæ vices in canendo extremo stasimo alternatæ sint, eæ adhuc in episodica cantiuncula declamitanda perseverent.

1. Cf. ἔμολε μὲν δίκα.... ἔμολε δ'ᾧ μέλει — βαρύδικος ποινά.... δολιόφρων ποινά — ἔμολε δ'ἐς δόμον.... ἔθιγε δ'ἐν μάχᾳ — πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.... πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν.
2. *De re scen.*, p. 10 et 15.
3. *Äsch. Orest.*
4. *Journal of Philology*, IX, 17 s., p. 114 sqq.
5. *Æsch. Trag.*, 1880.
6. *Ind. schol. Gryphisw.*, 1879, p. 6-8.

Sed ista hemichoria per anapæstos in unum coivisse par est; nam ultimi trimetri (1044-64) et anapæstica clausula (1065-76) universorum choreutarum principi debentur. Neminem alium temere putaverim ita auctoritate præstantem ut dementato Orestæ amice consiliari, Apollineique adyti perfugium subsidiumque ostentare possit. Quæ quidem omnia hortatoris suasorisque personam eamdem usque permanere ostendunt; eamque fabulæ imponere finem non ineleganter conjicies. Conturbatissimam enim tragœdiam non magnifice, consonantibus una voce omnibus, sed exilius placidiusque consummari decet, uno recitante coryphæo et horrifica scenæ orchestræque abrumpente silentia. Ceterum anapæstica clausula, quoquo modo metrice dividatur [1], nullam sectionem recipit; quam qui partietur et in diversos choreutas transferre studuerit, vereor ne quid sit simplex omnino nesciat.

1. Vid. WEIL, *Choeph.*, 1860, et *Fleck. Jahrb.*, 1861, p. 391; — STIPPL, *Zu ant...*, p. XXVI.

CAPUT VI

EUMENIDES

Statim ad reliquam disputationem accedam et implicatissimum ineuntis fabulæ carmen in disquisitione ponam. Primum omnium res scenica insolenti apparatu illustratur. Furiarum globus prospicitur in Delphico Apollinis templo occubantium obdormientiumque, dum Orestes, gladium manu gerens materno adhuc sanguine stillantem, divinam statuam prostratus circumplectitur. Vixdum, quæ est alacritas in venando, fugitivum agere intermiserunt, cum, ubi ad acriora consectandi studia ab Clytemnestræ manibus irritantur, jam sibi etiam consopitæ in somniis parricidæ instare tergo videntur, et in murmura clamoresque erumpunt (116-26). Subrauci fremitus mox crebrescunt et ab universo somniantium choro quasi antithetice cientur (116-29). Tum v. 130 neque universis choreutis, neque, sicuti maluit Hartungius [1], tribus tantum Furiis, sed coryphæo concedetur. Ut enim de stertentium ululantiumque concentu eleganter cogitare liceat, tamen unum versum concidi, frustulaque eadem inter binos cantatores distribui, tertiam autem absimillimamque partem tertiæ quoque personæ impariter delegari, minime in solitam antistrophicorum concinentiam quadrat. Propius vero fidem est eum exclamare chori ducem qui mox primus expergiscetur, comitesque e somno excitabit (140-2); ita unus et idem dormiens vigilansque choro præibit, et vel per quietem sua munia exercebit.

1. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.

Jam quæ ab experrectis Furiis canuntur (143-77) ægrè suppeditat qua ratione enucleari possint, vixque inquisitioni meæ ex aliorum conjecturis aliquot igniculi adhibebuntur [1]. Plerique enim critici eadem fere peccant, quandoquidem chorum ex quindecim personis colligunt [2], et in secernendis totidem cantici particulis hærent. Sed Muelleri præsertim sententiam stupeo qui, quamvis trilogiæ fabulæ rerum choricarum similitudine et simplicitate teneantur, et iidem choreutæ Eumenidum Furias Agamemnonisque senes egerint, tamen duodenos tantum in Agamemnone reperit, in Eumenidibus autem quindenos congregat. Ceterum Blomfieldii [3] Hartungiique [4] conjecturam respuo, chorum scilicet non nisi ex tribus constare Furiis, quoniam de legitimo choreutarum numero tantopere decisum fuisse nusquam memoria proditum est, et ceteroquin ista canentium saltantiumque paucitas Orestiæ cohærentiam abrumperet, et in orchestræ vacuitate inelegantior foret. Duodenos igitur et in Eumenidibus exstitisse cantatores censeo, ut supra non semel disputatum est et ex nostræ tragœdiæ exploratione rursus in v. 585-608 liquidum erit.

Sed ne violatarum religionum crimen susciperet, neve antiquitus insitam populo spectatoribusque de Furiis opinionem offenderet Æschylus diligentissime præcavit; vituperationemque

1. Hermannus (*Opusc.*, t. II, p. 136, et t. V, p. 353; — cf. *Æsch. Trag.*, I, 275-277) mobili disciplina utitur; sed potissimum v. 140-142 coryphæo, v. 143 et 145-146 secundo choreutæ, v. 149 et 151-152 sexto, interjecta autem et reliqua ceteris ordine choreutis quindecies tribuit. O. Muellerus (*Eum. comment.*, p. 85) primam syzygiam senis personis viritim canentibus, quæ vero supersunt octo Furiis ita adscribit ut binæ deinceps verba faciant, et ad summam quattuordenæ fiant. Wellauerus (*Æsch. Trag.*, 1827) a v. 143 quattuordecim quoque commata caduca doctrina ductus inconcinne digerit. Passowius (*De primo Eum. Æsch. cant. comment.*, p. 1 sqq. — *Catalog der Vorlesungen der Breslauer Universität,* 1830) contra ab eadem meta profectus quindecim partes incertum licentiusne an iniquius definiat. Lachmannus (*De chor. syst.*, p. 136) chorum κατὰ ζυγὰ instructum processisse opinatur, sed quænam ad unum quodque attineant, tanquam perarduum, intentatum relinquit. Albertius (*De Æsch. choro Suppl.*, p. 15-16) quattuor quoque ordines numerat, verum de singulorum munere tacet. Bambergerus (*l. c.*, p. 42-44) sexdecim canentium portiunculas dignoscit. Westphalius (*Prol...*, p. 187) syzygiarum α' et β' strophas ad primi hemichorii, antistrophas ad alteri principem, extremam autem ad totum chorum defert. Maennelius (*De parodo Eum. Æsch.*, p. 24-26), Kirchhoffius (*Æsch. Trag.*, 1880) et Wecklinius (*Äsch. Or.*, 1888) non multum a Westphalio distant nisi quod solida hemichoria ducibus antehabent.

2. Vid. Hermann, *Dissert. de choro Eum.*, *Opusc.*, II, p. 130 sqq.; — Boeckh, *Græc. trag. princ.*, p. 54, 63; — Uylenbroek, *De choro trag. Græc.*, p. 24, etc.

3. *Pers.*, 1857, præf., p. xxi.

4. *Æsch. Trag.*, 1852-1855.

solertissima artis suæ declinatione effugit. Solitum choreutarum numerum induxit, verum tres stœchorum duces, ni fallor, ita dignitate, habitu et vestibus insignes inter ceteros reddidit, ut eximie excellerent et præcipue conspicerentur. Tum, ut quasi imminuti ad triadaque reducti chori error grassaretur, ternos hosce versuum principes canentes plerumque fecit, velut melica enucleanti apparet. Si quis igitur v. 143-77 speciosius ostentataque solenni choricorum hominumque copia cantatos existimat, periculum est ne multum aberret. Neque in orchestra neque in proscenio Furiæ adsunt, sed in Delphico templo coactæ per στροφεῖον prospectantur [1]; ibi vero, propter machinæ spatiique exiguitatem ceteraque ædium impedimenta quæ ad Apollinei templi similitudinem veritatemque credibile est fuisse expressa, haudquaquam circum Orestem saltatorias figuras explicare potuerunt. Quare, quæ de incusso post vagum Furiarum adventum spectantibus terrore scholiasta tradiderit [2], non falsa esse, velut Ekkerus [3] conjectare videtur, neque ad nostrum pertinere locum, quæ Weilii [4] sententia est, sed in v. 244-75 cadere putandum est. Deinde istud choricum quid sit, et utrum parodus a v. 255 occipiat, sicut Hermannus mavult [5], an v. 143-77 pro parodo, 255-77 autem pro epiparodo habendi sint, quod satius Aschersonus duxit [6], ut ad rem minus idoneum quærere omitto. Hoc tantum asseverare ausim canticum nostrum, quamvis parodi nomine honestari possit, propter chori coarctationem modicius agi saltarique [7], et singularem modo cantum recipere.

Prima enim syzygia neque hemichoriorum, neque quaternorum sed trium tantummodo canentium vestigia præbet. Postquam princeps Furia alteri somnum excussit, præscripsitque ut tertiam vicissim expergefaceret, nulla ceterarum mentione adhi-

1. Sic quoque censuerunt Muellerus (*Eum. comment.*, p. 105), Maennelius (*l. c.*, p. 1-2), Zerneckius (*De chor. Soph. et Æsch.*, p. 21-22), etc.

2. τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον.... (*Dindorf*, t. III, p. 1).

3. *Dissert. de choro Æsch.*, p. 101. — Maennelii autem conjecturam, scholiastæ scilicet notulam ad Choephororum v. 1057 spectare, ut insolitam silentio prætermitto (*l. c.*, p. 5).

4. *Choeph.*, ed. 1860, p. 22, adn.

5. *Opusc.*, t. II, *De ch. Eum.*, p. 135.

6. *De par. et epipar.*, p. 12 et 28.

7. Apud Millin (*Monuments antiques inédits*, vol. I, p. 263, pl. xxix) vasis antiqui expressam picturam videre est, ubi nostræ fabulæ, ut ita dicam, res scenica efficta est, et binæ tantum Furiæ Orestæ insequentes conspiciuntur.

bita (140-2), statim v. 143 cantat, subitoque illius quam exsuscitavit sermone interrupta, sententiam in v. 145-6 continuat. Secunda quoque concisam post v. 144 sententiam in v. 147 conficit; postremo tertia v. 148 unice canit. Sic autem conjungenda esse commata inde ostenditur quod, si hemichoria instituas, expergiscentium tumultuantiumque concursus elegantius artificiosiusque digerantur, et iniquius dispertiantur frustula[1], et importuna detur eidem cantatori reiteratio verborum[2], et amplius placidiusque protrahatur intercalaris sententia[3], et diversa inter se metra copulentur. Quem enim latet primo choreutæ solitos dialogi trimetros tribui, secundo dochmiacos numeros, tertio denique lyricos iambos τονῇ distinctos et productos? Quod si vero similiora interdum inclamantur[4], hemichoriorum non istud indicium; sed par est iisdem somniis perculsas eodemque munere fungentes punitrices deas pariter fere et intellegere et loqui. Ceterum hemichorici cantus sollicita disquisitio ad incommodam partium iniquitatem divisores propellet; nam, si rerum perpetuitatem servare et responsionum documenta colligere cupies, nihil est cur v. 148 a v. 147, et v. 154 a v. 153 sejungas, et sic totum concides ut solida fere syzygia uni cantatori, minima contra alteri portiuncula deferatur. Terna igitur commata statuentur; istaque descriptio et cum sensorum natura et cum legitimo Eumenidum numero congruet.

Jam stropha et antistropha β′ nisi in binas partes diduci non possunt. Hemichoria autem dimidiatis melicis præfici, si vera sunt quæ supra disputavi et respicitur pernecessaria rei choricæ simplicitas, ratio non est. Vide præterea ne particulæ ὑπὸ vocisque πάρεστι repetitio similiterque desinentes versus[5] iterum te ad ressuscitanda hemichoria perducant, quamvis diversa vocabulis subjiciantur, et modo de Furiæ cujusdam horrore, modo de cruentato Apollinis tripode agatur. Quapropter ego alterum stropharum par dexiostatarum laurostatarumque ducibus, tertium coryphæo delegabo; nam et dochmiacos numeros una voce ab

1. Vid. Wecklein, *Äsch. Or.*, p. 263.
2. παῖ Διὸς, ἐπίκλοπος πέλη.... ἐξέκλεψας ὢν θεός.
3. Nam post ἄφερτον κακόν fortius interpungitur, majusque spatium relinquitur quam ut v. 148 a v. 144 pendere queat.
4. Cf. enim ἐπάθομεν.... παθοῦσα — οἴχεταί θ'ὁ θήρ.... ἄγραν ὤλεσα — ἐπίκλοπος.... ἐξέκλεψας — τὸν ἱκέταν.... τὸν μητραλοίαν.
5. V. 161 et 167.

universis cantari insolitum, et ea exprimuntur quæ, sicut supradictis viciniora, alium choreutam desiderent, ducisque gravitatem deposcant. Ubi enim ferociora verba audio καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται (174) et οὔ ποτ' ἐλευθεροῦται (175), etc., non duodenorum minitantium, sed unius superbe sese jactantis imperantisque orationem comperio.

Ad summam, ne hemichoriorum universique chori vices reputes, neve alternandas esse absimiliores choricas figuras credas. Sed potissimum tres modo sese Furiæ excipient : in prima syzygia omnes, in altera binæ, in tertia autem una tantum clamabit.

Verum oratio a cantu distat, neque pari modo dicuntur vel cantantur quæ ad explanandum fabulæ argumentum effingendosque confabulantium mores proficiunt, et quæ nihil habent nisi unde orchestræ splendor adaugeatur. Ut enim vitæ imaginem non excedat nonnullos simul eadem lyrica concinere, quoniam ex arte et composito sit chorum quasi multicipitem personam in melicis ducere, tamen in tragico sermone, ubi proprie rerum hominumque versatur descriptio, nimium ab usu discedit unum ex proscenio cum multis de conistra agere verbaque ita dissecari ut, intra breviores collocutiones, plures deinceps eadem de re aliquis compellare possit. Itaque Hartungii[1] conjecturam ejiciendam opinor, quæ v. 198-200 choro solido, v. 202-31 autem inter tres Furias bis singulas continuo loquentes distribuit. Nam trimetros universis choreutis concedi absurdum : præterea absonum, ubi choreuta β′ (secundum Hartungii divisionem) de ipsarum æternis muniis dixerit (208), et Apollo ista sic deriserit

τίς ἥδε τιμή; κόμπασον γέρας καλόν (209),

statim non Furiam β′ sed Furiam γ′ reponere :

τοὺς μητραλοίας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν (210).

Denique sub colloquii finem vix protrudar ut credam ternionem 229-31 tertii choreutæ esse, siquidem primus idemque sociorum princeps unam tantummodo lineam (225) dicat. Omissa igitur speciosa ista Hartungii enodatione, trimetros omnes de more coryphæo restituam.

Jam ista interpretandi ratio rursus ad dijudicanda criticorum

1. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.

conjectanea proderit, ubi v. 244-75 attigerimus. Hunc enim tragœdiæ locum mirum quantum interpretes dissimili ratione explanaverunt [1]. Quorum inventa omnia admodum submovenda censeo, cum hi præter Æschyli consuetudinem et orationis etiam indicia quattuordecim choreutas adnumerent; sparsim concursantes choreutas temere illi in symmetram hemichoriorum figuram vi trudant, iniquasque portiones æquis hemichoriis tradant; denique allœostrophos versus alii in antithetica male distribuant, aut in septem, octo, duodecim, quindecim commata consecent. Non necesse habeo manus antiquæ scripturæ injicere, neque interpunctiones mutare, ut rationi meæ satisfaciam; sed repertis meis fruor, prout quidque non ita magni laboris est, et minime ab Æschyli instituto usitatissimoque artificio discedit. Quare v. 244-53 coryphæo credere non dubitabo; solet enim tanquam chori dux ceteris præire, et per se unus dictitare quæ universi proprie quæritent vel agant. Ceterum trimetros istos attente perlegenti cuilibet imagines omnes e venatoriis moribus ductas inter se cohærere perpetuarique clarebit, et similitudinis poeticæ seriem efficere unde nihil distrahi queat. Quod si longius simile istud dilatatur, maxime conducit, et lyricæ picturæ insectantiumque temporibus inservit, et ad rem scenicam multum valet,

1. Hermannus σποράδην quidem chorum in templum irrumpentem facit (*Opusc.*, t. II, p. 137), sed allœostropha (255-275) septies dividit (*Æsch. Eumeniden*, p. 51; *Æsch. Trag.*, I, p. 280-281), totumque locum sic enarrat : « Præclara adnotatio scholiastæ legitur ad v. 254 τὸ αὐτὸ πρόσωπόν ἐστι. Huic Furiæ dum eæ, quæ jam præsentes erant, respondent, reliquæ congregantur, ipsæ quoque aliquid dicentes. Quumque septem sint commata, veri simile est, post primam illam quater de binis, bis de ternis unam aliquid dicere. » (*Opusc.*, t. II, p. 137.) Muellerus (*Eum. comment.*, p. 87) a v. 244 quattuordecim sive dicentes sive cantantes choreutas reperit et ἀπολελυμένα lyrica (257-275) antistrophice constituit, in binasque syzygias diducit. Lachmannus (*De chor. syst.*, p. 90 sqq.) astrophicæ cantilenæ singulos versus singulis choreutis committit. Wellauerus (*Æsch. Trag.*, 1827) singulares quoque partes conjicit, sed quibus cantatoribus viritim portiunculas adscribat in incerto relinquit. Bambergerus (*l. c.*, p. 66-67) v. 255-275 partitur ut ramenta inde tribus stœchis deinceps bis permittat. Albertius (*De Æsch. chor. Suppl.*, p. 15) zygorum cantum perobscure anteponit. Hartungius (*Æsch. Trag.*, 1853-1855) in canendis v. 255-275 ter singulas Furias continuo adhibet novenaque frusta dispertit. Kirchhoffius (*Æsch. Trag.*, 1880) singularem quoque cantum, sed nulla porro tentata enodatione, accipit. Tum Wecklinius (*Äsch. Or.*, p. 270, adn.; — *Fleck. Jahrb.*, 1883, *Über d. Tech...* — quem redarguere conatus est Muffius in *Fleck. Jahrb.*, 1883, p. 23) sic rationem suam proponit : « Zuerst erscheint wie Soph. Ai., 1866, der eine Halbchor, dem der Koryphaios als Führer vorausgeht; den Worten der Führerin (I) erwidert der Halbchor (II). Dann Kommen nach einander die sechs Mitglieder des anderen Halbchors (3-8). »

quod e Delphico templo profectas venatrices fugienti instare sine mora, et sine vestigationum erroribus discursibusque consentaneum non est.

Jam allœostropham cantionem 255-75 non pro arbitratu meo sed secundum sensorum naturam dividam. Filum autem istum sequentibus constat non eum locum esse qui multifariam distrahatur. Bini enim priores versus (255-6) quasi proodici sunt, quia una Furiarum sorores cohortatur ut undique oculis prospiciant, matricidamque odorentur. Sed a v. 257 cernitur Orestes Minervæ simulacrum amplexus; tunc vero in adolescentem deæ ruunt, gravissimumque sermonem habent, cujus triplex argumentum est. Primum enim (257-63) clamant non licere, si quis perpetrati sceleris judicium subire velit; deinde (264-8) vivi rei sanguinem ab punitricibus deis hauriendum esse ut maternæ cædis pænas luat; postremum (269-75) oportere facinorosus homo maceratus dejiciatur ad Orcum, qui soleat omnia mortalium nefaria animo inscribere quoties aliquis in hospitem aut in parentes delinquat. Verum, si attentius choricum istud considerabis, triplicem istum sententiarum ordinem videbis cum trigemina metrorum serie liberiorem in modum congruere. Non quod antithetica omnia sint, neque ad stropharum antistropharumque compositam mensuram redigi possint, sed inest laxior quædam rhythmorum congregatio, solutaque periodorum responsio, ita ut primam, tertiam quartamque sedem iambi teneant, sed a secunda et a quinta pæonici dochmiacique numeri decedere nolint. Hinc igitur hæc personarum munia haud immerito descripseris: v. 255-6, ut ducenti et jubenti, coryphæo curæ erunt, et proodi loco putabuntur. Primum comma ad unam Furiarum pertinebit, alterum ad alteram; extremum autem, ubi de Orco et scelerum pænis et de humanarum rerum æternis legibus agitur, coryphæo commendabitur, velut solent in ternorum ordinum vicibus, aristerostatæ sæpissime ad ultimum canere. Etsi tamen singularis cantus statuitur, hoc te meminisse velim Furias omnes in templum sparsim irruere, ceterasque huc illuc circa Orestem per silentium discursare, et vastius κατὰ στοίχους ordinari, dum princeps cujusque ordinis asperrime supplicem compellet. Sic igitur numerus Furiarum legitimus insignietur, et ea erit omnium instructio quæ jam liberius in v. 143-77 cœpta est, et rectius certiusque in v. 321-80 iterum conspicietur.

Sed, quamvis in Eumenidibus melicorum compositio præcipue

ad Dearum triada aptari videatur, cura ne ab assueta Æschyli re chorica longius abeas, et sermonem etiam quasi antistrophice ordinare cupias. Itaque et Hermanni [1] conjecturam tres portiones in v. 299-306 inæquabilius sejungentis (299-302; 303-4; 305-6), et Reimanni [2] opinionem respues, a quo octoni trimetri pro syzygia ducuntur et antithetice separantur (299-302; 303-6). Subtilioribus istis rationibus des quantumvis, nusquam apparet artis esse, si paria imparibus respondeant, et eodem modo dialogi quo diverbiorum lyricorum iambos canendos esse, et in nostro loco personarum vices desiderari et significari. Sed quæ ferocia verba protulit,

> οὔτοι σ' Ἀπόλλων οὐδ' Ἀθηναίας σθένος
> ῥύσαιτ' ἄν...... 299-300),

et

> ἀναίματον, βόσκημα δαιμόνων, σκιάν (302),

eadem necesse est addat

> οὐδ' ἀντιφωνεῖς, ἀλλ' ἀποπτύεις λόγους (303),

et

> καὶ ζῶν με δαίσεις..... (305).

Insuper eo magis trimetros omnes eidem personæ, coryphæo scilicet, tribuemus quod subsequens choricum de more prænuntiat (306).

Subjunctos quoque anapæstos (307-20), quanquam periodorum similiorem paritatem forsitan præbere possunt [3], ab omni divisione et ab recitantium alternatione tuebor. Quapropter neque Hermanni [4] et Hartungii [5] conjecturas laudaverim hypermetra ita partientium ut tria commata ad tres Furias deinceps spectent; neque Muelleri [6], a quo licentius etiam systemata ista vexantur, quoniam septies conciduntur, unde singulæ particulæ binis simul

1. *Æsch. Trag.*, I, p. 281-282.
2. *Die Parodos der Eum. des Æsch.*, p. 5.
3. Vid. Hermann, *Æsch. Trag.*, I, p. 282; — Weil, *Choeph.*, ed. 1860; — Dindorf, *Æsch. Trag.*, 1832; — Klotz, *De num. anap...*, p. 41; — Stippl, *Zu ant...*, p. xxvii.
4. *Opusc.*, VI, 2, p. 63.
5. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.
6. *Eum. comment.*

canentibus choreutis relinquuntur, quattuordenique cantatores distinentur. Has ego e longinquo arcessitas interpretationes confutare supersedeo; Æschylus haud anxie elegantiam aucupatur, verum satis habet si parabilem rei choricæ cultum obtinuit et consuetudini simpliciter stetit. Nostra igitur anapæstica hypermetra, sicut meus est mos et ceteroquin ex sensorum coagmentatione dilucet, uni coryphæo tradam[1], ut choro spatium relinquatur solitas stationes petendi, ubi statim ὕμνον δέσμιον concinet.

Pulcherrimum istud carmen nuperrime excogitatum est quo pacto canendum foret. Nonnulli enim universi chori consensum conjectaverant, quia v. 355-9 et 372-6 non pro ephymniis sed pro antitheticis habebant. Sed ubi hos versus intercalares esse intellexit Merkelius, et reiterandos suo quemque loco[2], ad alia se critici transtulerunt. Antistrophica Muffius[3] hemichoriis, ephymnia solido choro adtribuit. Wecklinius[4] tria priora stropharum paria stœchis, quartum et ephymnia choreutis universis vindicat. Cui ego admodum assentior. Nam mihi quoque, excepto tamen ephymniorum additamento, primum istud stasimum chorico similius est quod invenitur in Supplicibus (631-709), ubi ad tres uno rhythmorum tenore fluentes syzygias quarta accedit metrorum natura diversissima, unde optimo jure, ut metra, sic personas immutari conjicitur. Itaque istic quoque stropharum par γ′ choreutarum summæ adscribo, ne, quæ in canendo ultimo ephymnio fuerit vocum concordia, ea ante carmen confectum dissocietur, neve importune res chorica cantatorum penuria deformetur.

Incœptum deinde chori cum Minerva colloquium non possum quin coryphæo tribuam, et ab Hartungio discedam, qui v. 415-17 choreutis dat universis, ceteros autem sic distribuit ut tria responsa Furia quæque continuet[5]. Nunquam adducar ut duodenos una voce cum uno interlocutore sermocinantes faciam; de reliqua autem divisione, etsi subtilior est et optime videtur ad rem accommodari, non multum disputabo : sensorum enim seriem sic abrumpit ut, cum aliam Minerva adlocuta sit (430), alia statim responsum adferat (431).

1. Sic quoque censet Wecklinius, *Äsch. Or.*, p. 275, adn.
2. *Äsch. Eum.*, Gotha, 1857.
3. *Fleck. Jahrb.*, 1883, *l. c.*
4. *Ibidem;* et *Äsch. Or.*, p. 276, adn.
5. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.

Jam vero de secundo stasimo, spero, non ambigetur. Sectionem refugit lyricum carminis argumentum, ubi mortalium calamitates tanguntur, si quis, aversis æternis quibus regatur vita præscriptis, impune queat justitiæ aram proterere, et parentum verecundiam proculcare. Est hic locus et ad theatralis pompæ ostentationem aptissimum fit divina illa, ex quibus mundi et rerum humanarum ordo constet, non malignius a chori partibus sed magnifice a canentium solido proclamari. Cum præterea sub judice adhuc lis sit, neque prorsus timeant Furiæ ne rei absolutio accidat, is theatri habitus, ea scenæ placida condicio est quæ orchestici ludi cultum omnem recipiat. Nostrum itaque carmen horum simile erit quæ jam in unaquaque fabula inserta vidimus, ubi per argumenti tranquillum affectuumque pacem vacat chorum individuum usurpare; quo ornamento si Eumenidum fabulam defraudes, Æschyleæ artis modestiam simul et ad omnia dexteritatem in deterius trahas.

Jam a quibus Orestæ quæstio exerceatur facile existimabitur. Ubi coryphæus quod Apollo se judicio immiscuerit conquestus est (574-5), Minerva Furiis, tanquam reum Orestem poscentibus, potestatem loquendi et accusandi facit. Statimque singulæ juvenem arguunt ut matricidam, duodeciesque loquuntur, si quid ex trimetrorum distinctione (585-608), et ex ipsius coryphæi verbis colligere licet. Prænuntiat enim chori princeps sese omnes, quamvis multæ sint, ordine interrogaturas, sed perpauca simul dicturas :

πολλαὶ μέν ἐσμεν, λέξομεν δὲ συντόμως (585).

Quî vero sub vocabulo πολλαὶ tres Furias tantum latere subaudiendum sit, impotentis rationis est minusque legitimæ scripturæ inservientis. Quare neque tres quater deinceps agentes accusatrices, sicuti Hartungio [1] et Freericksio [2] placuit, neque quindenas, quod plerisque editoribus satius visum est, sed duodenas cum Weilio [3] statuam. Quindecim fuisse choreutas trimetrorum numerus sententiarumque conjunctio non sinunt.

Postquam coryphæus crimen exercens Orestem jussit, prout ab unaquaque rogitaretur, ordine respondere, ipse, tanquam rei

1. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.
2. *L. c.*, p. 64.
3. *Choeph.*, ed. 1860, p. 68, adn. — Cf. Wecklein, *Äsch. Or.*, p. 293, adn.

quæstor, ut ita dicam, tacet, sociisque accusatricum partes relinquit; ex quibus una quæstionem aperit :

τὴν μητέρ' εἰπὲ πρῶτον εἰ κατέκτονας (587).

Dein reliqui choreutæ singillatim reum insimulant, et lineam unam pronuntiant, excepto tamen ultimo, quem parastaten fuisse pro certissimo dari potest, quoniam binos trimetros æque ac chori princeps dicit, et, ut ille consilii principium, ita ipse exitum facit (607-8). Quapropter noster hic locus cum similiore Agamemnonis loco (1344-71) aptissime conferetur, unde haud injuria cogetur nunquam nisi ex duodenis personis Æschyleum chorum fuisse collectum.

Alii quoque Hartungii conjecturæ reclamito, v. 711-33 scilicet ita inter tres Furias distribuendos esse, ut bis deinceps quæque iambicum binionem dictitet[1]. Et istos et episodii omnes trimetros coryphæo relinquo. In priore colloquii parte ea disputantur a choro quæ non nisi ab uno locutore proficisci oporteat (622-55); dein v. 676-7 illum modo choreutam decent cujus est primas agere; in v. 711-33 præterea, quantumvis solerter dividantur, quomodo fiat ut, si quæ minacia verba protulerit

καὶ μὲν βαρεῖαν τήνδ' ὁμιλίαν χθονὸς
ξύμβουλός εἰμι μηδαμῶς ἀτιμάσαι (711-12),

non ejusdem sit diutius in minis hærere et insequentia addere

λέγεις· ἐγὼ δὲ μὴ τυχοῦσα τῆς δίκης
βαρεῖα χώρᾳ τῇδ' ὁμιλήσω πάλιν (719-20) ?

Nonne etiam ad eamdem pertinet quæ Apollo apud Phereten gesserit omnia exsequi (723-8)? Postremo quæ solertissima distributio v. 731-3, 745 et 747 æque inter Furias partietur, cum et ambitu impares sint, et, quanquam stichomythica statione dissimillimi, tamen huic choreutæ reddendi esse videantur qui universorum personam defendat? Ceterum, ne subtilius persequar omnia, quando judiciorum ibi certamen effingitur, et magna inter Apollinem chorumque controversia exstat, ex forensium causarum consuetudine evenit adversariorum par componi ut faci-

1. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.

lius judiciaria res in medium producatur, et contendentium disputatio dirimatur. In concertatorium loquendi genus simul et in depictam litium veritatem confert si unum defensorem unus quoque accusator urgeat, et oratio ducis mente et judicio dirigatur.

Itaque ista partitorum tentamenta et in canendis subsequentibus ephymniis (778-93, 808-23; 837-46, 870-80) repellam. Omnino ignarus sum quid ponderis habeant hæ dividendi rationes, unde diversissimæ Hermanni Hartungiique conjecturæ exoriantur. Prius enim ephymnium Hermannus[1] in novem commata secat novenosque cantatores, nullo choricæ consuetudinis, nullo etiam concinentiæ, juncturæ et interpunctionum adhibito respectu, distinet, singulorumque partes pro arbitratu suo duplicat. Hartungius[2] iniquius etiam allœostropha dirimit, quoniam v. 808-17 choreutæ uni, reliquos vero paucissimos binis adscribit. Dein alterum ephymnium Hermannus in octona frustula intercidit, adeoque licenter partes dispensat, ut parastatæ abunde sit particulam φεῦ (839) inclamare[3]; Hartungius contra de more tria membra disgnoscit quæ tribus Furiis vindicat[4]. O rem excogitatam! Mira quidem attulerunt acutiores Æschylearum tragœdiarum enarratores, sed vereor ne poetæ opera sibimet, ut ita dicam, egerint potius quam legerint. Diligenter enim dispicienti ephymnia nostra subjicitur individua esse, et ita sententiis verborumque vi cohærere ut dissolvi nequeant, et ex integro esse canenda. Attamen non hæc velim, simplicitatis caussa, choro solido relinquere[5], quia, quemadmodum absonum est melica ex dochmiacis numeris maxime collata conjunctis universorum choreutarum vocibus concini, sic in rem dramaticam non est omnes cantatores bis in iisdem versibus iterandis otiose hærere. Reputa enim nos ad hæc tragici argumenti discrimina pervenisse ubi intricata fabula brevi expedienda sit, et Furias in eo esse ut quid contra Atheniensium terram decernant diu pensitent. Actuosa igitur omnino est hæc fabulæ pars, et choricum nostrum jure vereque episodicum vocari potest. Quapropter haudquaquam hisce choricorum figuris utemur quæ justo magnificentiorem apparatum postulant,

1. *Æsch. Trag.*, I, p. 298-299.
2. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.
3. *Æsch. Trag.*, I, p. 301.
4. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.
5. Vid. Wecklein, *Äsch. Or.*

et symmetram canentium compositionem exhibent. Hemichoriorum cantus propterea rejicietur quod, si choreutas æqua portione sejungas et contraponas, bini præsertim eminebunt, coryphæus et parastates, binæque Furiæ primas tenebunt, tertia in tenebris jacente : qua divisione nescio an inelegantius inconcinniusque aliquid inveniri queat. Equidem, quamvis novitatis crimen subeam, aliud experiar, et, cum ephymnia ista, Minervæ orationi inserta, quasi incœptam concertationem continuent, fingam adhuc accusatrices verba facere; neque per coryphæum querelas edent, sed ipsæ questus per se geminabunt. Stœchorum igitur principes usurpabo : quæ cantantium angustiæ ad dochmios, ad operosam loci naturam, simul et ad Furiarum numerum aptabuntur.

Sed extremos episodii trimetros (892-902) coryphæo omnes deposcam, rejecta Hartungii sententia, unde bis deinceps singulæ Furiæ loquuntur [1]. Parvulum hunc Eumenidum Minervæque sermonem si accurate excuties, occurret eumdem vocis sonum in v. 892-8 audiri, et v. 900 et 902 id momenti habere ut nisi ad ducem non attineant. Principem enim choreutarum non autem quemvis eorum decet ab ira desistere

θέλξειν μ'ἔοικας καὶ μεθίσταμαι κότου (900),

et rogare quæ felicia urbi precari et exoptare debeat :

τί οὖν μ'ἄνωγας τῇδ' ἐφυμνῆσαι χθονί; (902).

Quæ si illis conferes, ubi Minervæ Atheniensiumque accipitur hospitium (894), non erit cur in tanta re plures cum Minerva egisse et consuluisse putes.

Jam vero extremum fabulæ commum (916-1020) chorice explanare minimi negotii erit. Sententiis enim et temporibus melicis istis consimillimum est quæ jam legimus in Supplicibus (631-97), et pro comperto habemus ad stœchos pertinere. Hospitium Furiæ æque ac Danaides obtinent, faustisque ominibus hospites prosequuntur. Insuper commaticorum naturæ decorique accrescit, si consociatis multorum vocibus non canantur, sed perpaucis cantatoribus delegentur, cum commus nil nisi lyricum diverbium sit. Quare non longe a re aberimus unamquamque syzygiam

1. *Æsch. trag.*, 1853-1855.

cuique stœcho mandantes. Quæ distributio in primis cum solita nostra choricorum ratione congruet, dein ad pleraque hujusce fabulæ tripartita carmina accedet, et tres Furias, tanquam stœchorum principes, præ ceteris eximias in legitimam sedem dignitatemque statuet.

Superest nunc ut ἀφοδικὸν μέλος (1033-47) [1] expediam. De quo, ut de ceteris, multi diversissime opinati sunt. Hermannus O. Muellerum Droyseniumque reprehendit quod Minervam ejusque sacrorum administras, posthac areopagitas et virorum mulierumque turbam in orchestram deducant, triaque παραχορηγήματα contrahant [2]; et ipse suam opinionem sic aperit :

« Nam quum legitimus Furiarum numerus sit illarum trium, quarum nota sunt nomina, non dubitandum videtur, quin hæ tantum sacratas sedes acceperint cultæque sint Athenis. Atque vix effugisset, credo, Æschylus impietatis accusationem, si pro tribus illis quindecim punitrices deas recipi fecisset. Ita duodecim, ut defunctæ munere suo in persecutione Orestis, jam mutatis vestibus interea dum Minerva v. 975-985 orationem habet, ut mulieres Athenienses adhiberi poterant. Quare si Areopagitæ, ut quidam volunt, numero duodecim fuerunt, totidem habebimus mulieres, omnisque comitatus ex viginti quattuor Atheniensibus constabit, quibus accedunt, quæ certissime perpaucæ fuerunt, sacerdotes istæ, vel potius ministræ sacrorum. Hic comitatus carmen ultimum canere creditur : non est tamen putandum omnes viginti quattuor canere, sed illos tantum, qui proprie sunt choreutæ, hoc est duodecim numero, quorum dimidia pars pro viris, altera pro mulieribus canit. Nam carmen ipsum hemichoria prodit [3]. » Itaque strophas antistrophasque Hermannus priori hemichorio, alteri autem ephymnia tradit [4]. Hartungius [5] syzygias προπομποῖς, versum contra intercalarem areopagitis poscit. Westphalius bina stropharum paria ad προπομπούς, ephymnia ad Eumenidum chorum defert [6]. Ego vero ex ipsis Minervæ verbis facile pompæ ordinem conjici puto. Nam, cum in eo sunt Furiæ ut extremam antistropham canant orchestramque derelinquant,

1. Westphal, *Prol...*, p. 19.
2. *De re scen...*, p. 13.
3. *Ibidem.*
4. *Æsch. Eum.*, p. 125.
5. *Æsch. Trag.*, 1853-1855.
6. Westphal, *Prol...*, p. 23.

dea quo quisque loco Eumenidas prosequi debeat constituit. Præeunt προπομποὶ ardentes faces præferentes [1], pauculæ videlicet sacerdotes quæ deæ aras servant [2]; subsequitur Minerva [3]; deinde conglobantur areopagitæ [4]. Mox ubi omnes, ut scenam obtinentes, in priore ordinis parte instructi sunt, Furiæ, cantata ultima carminis antistropha, ab orchestra discedunt, per scalas in scenam escendunt, et ita κατὰ ζυγὰ ordinantur, ut primum zygum ex ternis chori principibus, tribus scilicet Furiis, congregetur; postremo subjunguntur viri et feminæ [5]. Postquam autem universi constiterunt, Minerva προπομποὺς jubet ambulativum carmen præcinere; quæ, utpote toti agmini præmissæ, extremas syzygias, ad Eumenidas conversæ, exordiuntur, quarum prius ephymnium a viris, alterum autem a feminis, sicut ex voce ὀλολύξατε apparet [6], concini videtur. Ad duplicem autem cultorum turbam ephymnia pertinere hinc declaratur quod Eumenidibus Minerva vota et cultum παρ' ἀνδρῶν καὶ γυναικείων στόλων (856) pollicita est, et theatralis pompa ad solemnis publicæ pompæ effigiem conformanda est.

1. V. 1005.
2. V. 1024-5. — De his vide Weil, *Eum.*, 1867, p. 112, adn.
3. V. 1003-4.
4. V. 1009-10.
5. V. 1020-27.
6. Paley, *The trag. of Æsch.*, p. 662-663, adn. — Wecklinius contra (*Äsch. Or.*, p. 322, adn.) intercalares versus putat verbo ab omnibus prosecutoribus, re autem a choreutis solis iterari; in quo subtimeo ne vir summus scenicas partes diutius Furiis aut Furias agentibus choreutis impertiat, pompamque et vocum concentum deminuat.

CAPUT VII

PROMETHEUS

Reliquum est nunc aliquantisper in Promethei investigatione morari. Quæ tragœdia non idcirco expendetur ut ad propriam Æschyli rem choricam metricamque reducatur, sed potius ut ab solita poetæ nostri ratione remotissima esse ostendatur.

Hæc autem quæstio facillime expediatur, nisi quo anno fabula acta fuerit prorsus incertum permaneat. Criticorum tamen certationes multi, tragœdi ipsius verbis freti, disceptare conati sunt Paleius [1] et Wecklinius [2], quod in v. 367-9 Ætnæ prænuntiaretur eruptio, fuisse ista montis incendia cum operis exhibitione conjunctiora non recte putaverunt. Fabula enim certe Ol. 75,2 ætate præivit; sed quatenus inferior fuerit non elucet.

Ceterum pertenue videtur istud argumentum esse, quando ad aliam rationem confugiunt illi quibus placet Prometheum Persis etiam antecessisse. Quorum opiniones recognoscere operæ est, quoniam, si nostra tragœdia superstitibus reliquis antiquitate præcurrat, non satis liqueat cur recentioris ætatis tragœdiis adsimillima sit, et maturioris artis præbeat documenta. Itaque omnium judicia unius Wecklinii sententia complectar qui hæc scripsit : « Dass Kann man schliessen aus den quellenfrische der Sprache, aus der Einfacheit der Œconomie, den Beschränkung auf zwei Schauspieler, endlich auch aus dem Umstande, dass in

1. *The Trag. of Æsch., Prom.*, p. 92.
2. *Æsch. Prom.*, Leipzig., 1878, *Einl.*, p. 22-23.

der Schilderung des Atlas und Typhon, in der Scene der Io und des Heracles dem stofflichen und nebensächlichen Interesse ein bedeutenden Spielraum geboten ist[1]. »

Jam, ut hæc omnia, mutato ordine, aliaque adgrediar, unus quidem actor Hephæsti et Promethei, alter autem Roboris, Oceani, Ius et Mercurii partes defendit, sed nihil inde confici censeo : duos enim Æschylus in Persis, Supplicibus, Septem, Agamemnone et Choephoris adhibuit; tertii semel in Eumenidibus eguit, non ut actuosiorem fabulam præstaret, sed quia ad consilium conferebat areopagitarum munia adstante tacentium personarum turba, et imagine quadam ad veritatem adducta exprimere. Cum igitur tertius actor in trilogia non nisi semel et paulisper adsit, haud falso colligetur Æschylum hoc rei scenicæ additamento parce usum fuisse, neque ad Sophoclea reperta temere transfugisse, quippe qui cetera diutissime angustiorem duodenorum choreutarum numerum servaverit.

Infirma etiam sunt ad probandum quæ de argumenti simplicitate dicuntur. Non multum ferme concursatur in Æschyleis tragœdiis : magna, luculenta, exundantia omnia sunt, ubi dramaticam lyricamque facultatem spectas; exilia autem dixeris nonnulla, ubi canentium aut agentium paucitatem, rerumque conversum, quibus in pejus mutentur hominum condiciones, consideraveris.

Quæcumque insuper de Ius persona commenta sunt, vim scilicet argumento tanquam intulisse, in majus accipiuntur. Infelix mulier pars est trilogiæ non levissima. Obrepsisse quidem videatur si nostram fabulam tantum respicias; verum haud parvum officium sustinebit et re continebitur si poematis tractum prospectabis. Divina enim ira non aliter ac Prometheus opprimitur. Ubi etiam virginis errores a vincto Titane canuntur, nihil horum supervacaneum est. Quantum terrarum mariumque emensura sit, priusquam Epaphum gignat, cognoscamus necesse est, ut puellæ mala Promethei malis paulo coæquentur, et prænuntiatæ istæ discursationes Herculis viis, quas idem de rupe vaticinabitur, quasi pares paribus respondeant. Sic enim et geminæ enarrationes per medias fabulas secum communicantur; et Ius interventus laudatur, utpote quæ stirpem procreatura sit unde enascetur sagittarius vulturis occisor; et Jupiter invidia liberabitur, quoniam ex se pepererit Promethei liberatorem.

1. *Æsch. Prom.*, p. 22.

In hunc quoque fere modum explananda sunt quæ de Atlante [1] et Typhone [2] concinuntur, non ad pejus detorquenda. Minime accessio operis hæc est, neque portiuncula extrinsecus illata : istorum enim suppliciis absolvitur summi dei effigies. Itemque haud scio an in tertio trilogiæ actu cum ceteris Titanibus præsto fuerint, ut ex fratribus universis chorus constaret.

Alia quoque multa dehortantur ne rudibus poetæ annis tragœdiam nostram adscribamus, machinarum scilicet diversitas quas Promethei editio flagitabat. Oceanides curriculo per aera ad rupem convectæ sunt [3]. Quarum ipse pater Oceanus alato equo insidens non nihil spatii perlustravit [4]. Postremo, exeunte fabula, tellus, id est scena, quatitur; tonitru sonant et fulmine refulgent omnia, et protagonista procella cœlitus demissa obnubilatus discissæ rupis ruderibus obruitur. Prætermitto etiam quibus artificiis poeta Titanum in extremo poematis actu advectionem paraverit, et ad depascendum Promethei jecur involantem avem ostenderit. Utrum tirunculi an veterani reperta ista judicas?

Chorus præterea quasi Euripideus esse videtur. Oceanides e longinquo adsunt, misericordia quidem ex aquatilibus domibus propulsæ, verum et a Caucaso remotas sedes colunt, et ab Titanis sorte disjunctam sortem servant. Nihil ex illius infortuniis ad se trahunt, nisi ut sibi jam præscriptum habeant deos prudentius magis quam libentius venerari [5], et præcipue cavere ne cum superioribus connubio conjungantur [6]. Spectant non agunt; spectatis ingemiscunt non immiscentur. Itaque externam verius quam intimam argumenti portiunculam esse dicas; chorumque istum non cum dithyrambico æque ac tragico veterum poetarum sed cum insequentium choro merito conferas, quem certum est in orchestram non sponte sua neque materiæ quadam necessitate adductum vulgo venisse, verum quia antiquitus tradita lex foret per agendas tragœdias, quemadmodum in scena actoros, ita in orchestra versari choreutas.

Inest quoque personarum sermonibus plena, ut ait Cicero,

1. V. 347-350 et 425-430.
2. V. 351-372.
3. V. 128 sqq.
4. V. 284 sqq.
5. V. 526 sqq.
6. V. 887 sqq.

senectutis oratio [1] : acrior est et nervosior quam artis et poetæ ipsius rudimenta tulissent. Fabulam enim non modo cum Persis, quos ordine posteriores asserit Wecklinius, sed etiam cum Orestia si compares, longe præstantem ceteris fateare. Ubi ea colloquia invenias, unde aptius mores describantur, quam ex v. 36-81, in quibus Robur præceps insita immanitate per atrocitatem ruit, Hephæstus vero invitus Titana rupi adligat, injuriam comitate compescens? Jam altercantium autem absolutissimam effigiem si forte quæris, en habes Promethei Mercuriique colloquium (944 sqq.). Nusquam certe apud veteres iis salium ardoribus diverbia fervent et inflammantur, ut verbum verbo responset, et contumeliosæ sententiolæ calidissimique in insectantem jactentur igniculi. Attamen vel arte præminet Promethei Oceanique confabulatio (284-396), in qua peritissime seria lepidis temperantur, et ita involuto acumine argutiæ instruuntur, ut vix scias utrum amicitiæ ostentatio an veri ludificatio sit.

Constat igitur non in veterrimis Æschyli tragœdiis reponendum esse Prometheum; nunc autem de hoc inquiretur utrum Septem (ann. 462) an Orestiam (ann. 458) forte consecutus sit, et per extremos poetæ annos fere conscriptus fuerit, ut ea nobis suppetat regula qua chorice sit explorandus. Quæstio omnis hæc est; sed tolletur, puto, disceptatio, dum rem metricam diligenter perpendamus. Quocirca, ut ab dialogo incipiam, jam multi animadverterunt critici longe copiosiorem in nostra fabula quam ubivis esse, et tractu suo plurimum melicis præcellere [2]. Sed ego diu diligentissimeque singulos iambicos trimetros in Pèrsis et in Eumenidibus, in veterrimo scilicet et in novissimo opere, perspexi, statimque cum Promethei trimetris comparavi, ut inde quænam fuisset artis Æschyleæ sive deformatio sive emendatio pateret. Atqui Æschylus non modo per exercitationem vires auxit, et secum ipse certavit ut semper gravior esset in fingendis argumentis, sed trimetri etiam structuram excoluit, quo meliorem faceret, aptiorisque rhythmi elegantias aucuparet. Exacta numerorum ratione servata, Eumenides pro rata parte excultiores sunt quam Persæ,

1. Cf. Bernhardy, *Grundr. der Griech. Litt.*, III, p. 271; — O. Müller, *Gesch. der Griech. Litt.*, I, p. 541.

2. Vid. Bernhardy, *l. c.*, p. 268. — Wecklinius etiam (*Æsch. Prom.*, *Einl.*, p. 23) supputavit melicorum et trimetrorum iambicorum spatia inter se collata eamdem rationem habere quam unum ad duo in Persis, Supplicibus et Septem, unum ad duo in Orestia, unum vero ad septem in Prometheo.

sed Eumenidibus antecellit Prometheus. Exceptis enim anapæstis, qui paulo plures in trimetrorum limine pro spondæo aut iambo ponuntur [1], nusquam alias in minores paucioresque metricas maculas offendes. Cæsurarum puritate cum Eumenidibus quidem Prometheus componi fere potest, sed Persas superat, seu rariorem hephthemimeren incisionem, seu etiam monosyllabæ voculæ pro penthemimere aut hephthemimere usum respicis [2]. Ubi præterea ancipites syllabas in fine versuum jacentes, aut hiatus, aut etiam longarum in ipso versu solutiones computabis, non modo Persis sed Eumenidibus ipsis limatior erit Prometheus [3]. Cum igitur Æschylus totus semper in emendanda versificatione fuerit, et inferiores Eumenides ætate quam Persas noverimus, Eumenidibus quoque recentiorem ducendum esse Prometheum vel ex ipsa trimetrorum exploratione jam pro comperto habeamus.

Quod si vero leviora hæc tibi videntur indicia quam ut multum cogatur, alia sunt majora, quibus, spero, fides non derogabitur. Ea enim est Promethei fabrica ut hujuscemodi nulla in ceteris poetæ fabulis inveniatur (sæpius autem apud Sophoclem aut Euripidem subsimilis quædam occursat) : semper res tragica a soliloquiis [4], a concione [5], nusquam vero a diverbio [6] exorditur, quod insolitæ simul atque absolutioris formæ esse non negaveris.

Insequens præter id parodus in usu Æschyleo non est. Parodica ejus carmina unius chori sive pura [7], sive anapæstico procemio subjecta melica sunt [8]; nullum referes quod commaticum sit, et in duobus tantum syzygiis consistat, et utique cantum ἀπὸ σκηνῆς sequatur. Istud autem commaticæ parodi exemplar recentius

1. Si propria nomina excipies, duodenos anapæstos reperies.

		Cæsura penthemimeres monosyllaba	Cæsura hephthemimeres	Cæsura hephthemimeres monosyllaba
2.	Pers.	13/00	20/00	1/00
	Eum	12/00	18/00	1/00
	Prom	14/00	9/00	4/00

		Syllaba anceps	Hiatus	Longarum solutio
3.	Pers.	28/00	7/00	6/00
	Eum	29/00	6/00	5/00
	Prom	22/00	6/00	2/00

4. *Ag.*, *Choeph.*, *Eum.*
5. *Septem.*
6. *Prom.*, 1-87.
7. *Septem*, *Choeph.*, *Eum.*
8. *Pers.*, *Suppl.*, *Ag.*

optimo jure duci potest, cum apud Sophoclem [1] et Euripidem [2] obvium sit, interdumque etiam iisdem fere metris decurrat.

Jam sumptum ex Promethei [3] Iusque [4] monodiis argumentum quî redarguatur plane nescius sum, quoniam monodiæ leguntur in Sophocleis operibus quædam [5], in Euripideis multæ [6], in Æschyleis vero alibi nulla. Ista autem Promethei cantilena metricas particulas complectitur quas noster conjungere non consuevit. Præterquam iambicis trimetris interponuntur aut succlamationes et voculæ præ dolore missæ [7], aut etiam anapæstici aliquot versiculi [8], pedum quædam colluvio oritur, quia iambi, dochmii, pæones et bacchii in promiscuo spectantur. Quæ metrorum repugnantia eo magis habet admirationis quod nunquam dochmiis Æschylus utitur nisi cum imbecillas mulieres inducit trepidantes. Hoc quidem rhythmo Persicorum senum emollitam virtutem, aut Argivorum formidinem tristibus Cassandræ vaticinationibus oppressorum effinxit, sed quasi femineum ducit, neque unquam ad protagonistam quempiam transfert. Forsan igitur hujuscemodi numeros usurpasset ut Ajacis furores impotemque suî mentem declararet [9], verum necopinato accidit fuisse Prometheo accommodatos, qui voluntatis suæ perseverantiam per supplicia simul atque opprobria retineat, et plus quam virilis animi speciem præ se ferat. Inter se omnia ista discrepent, nisi tragœdiam nostram confitearis infra ceteras esse et ad degener quoddam exemplar confictam.

Sed Æschylus non modo monodias præter consuetudinem in Prometheo protulit, idem rem suam metricam circumcidit pariterque immutavit. Ceteras enim fabulas omnes perlege : præsto sunt vulgo stasima ex tribus aut etiam ex pluribus syzygiis constantia, perraro autem ex duabus, nisi quoties choreutæ personas flectere conantur; hic vero brevissima quædam stropharum paria, tan-

1. *Œd. Col.* (ed. Schneidewin), v. 117-69. — *Philoct.*, 135-218. — Ceterum carmen ἀπὸ σκηνῆς subsequitur parodus commatica in *El.*, v. 121 sqq.
2. *Iphig. Taur.* (ed. Kirchhof, Berolini, 1877), v. 123-235. — *Rhes.*, 1-51.
3. V. 88-127.
4. V. 566-88.
5. *Aj.*, 394-427. — *El.*, 86-120.
6. *Hipp.*, 1347-88. — *Iphig. Aul.*, 1279-1335. — *Ion*, 82-183; 859-922. — *Or.*, 960-1012. — *Troad.*, 98-152. — *Phœn.*, 301-54.
7. Commemoro nonnullas apud Sophoclem temere adsumptas : *Aj.*, 333, 336, 339, 737, etc; — *Œd. Col.*, 315, 318, etc. — Apud Euripidem sexcentæ.
8. Cf. Soph., *El.*, 1161-62; — *Trach.*, 1081; 1085-86.
9. Soph., *Aj.*, 349 sqq.

quam actor ipse, canit chorus, vivida et actuosa et vehementissimo sermoni magis quam carminibus vicina [1]. Atqui ampliora illa Æschyli cantica nusquam fere apud æmulos reperiuntur. Hæc autem, ut ita dicam, duplicia adsidue consueverunt Sophocles [2] Euripidesque [3] usurpare; quæ non pro Æschyleo more in mediis episodiis brevi intercinuntur, ut res tragica quo velit chorus deflectatur, sed scenæ nonnunquam oblita lyrice continuantur et pro amplioribus Æschyli stasimis sunt: ista quidem recentior chorica forma non nisi in nostra fabula versatur [4]. Postremo tum Sophocles [5], tum Euripides [6] stasimum quoddam sæpius adhibent ex una syzygia, adjuncta epodo, compositum, quod frustra apud Æschylum, præter in Prometheo, quæretur [7].

Adde super hæc quod anapæsticum Promethei Mercuriique diverbium [8] inusitatissimam rationem adfert, quæ non Æschylea sed Sophoclea [9] Euripideaque [10] videtur esse.

Sed res Promethei metrica æque ac chorica huic fabulæ præcipua est. Ibi enim occurrunt strophæ dactylo-epitritæ [11], Pindaricam speciem referentes, quæ ceteris Æschyli operibus omnino desunt, insequentibus autem tragœdis multum arrident [12]. Fatendum est quoque Æschyli non esse numeros dactylicos iterata brevi bisyllaba anacrusi discriminatos [13], et trochaicas tetrapodias acatalec-

1. 526-60; — 887-906.

2. *Aj.*, 596-645; 1185-1222. — *Œd. tyr.*, 464-512; 863-910; 1186-1222. — *Œd. Col.*, 668-719; 1044-95; 1211-48. — *Ant.*, 332-75; 582-625; 944-87; 1115-54. — *El.*, 1058-97. — *Trach.*, 633-62; 821-62; 947-70. — *Phil.*, 676-729.

3. *Alc.*, 435-75; 569-605; 962-1007. — *Andr.*, 117-46; 274-308; 464-96; 1009-46. — *Bacch.*, 370-431. — *Hec.*, 444-83. — *Hel.*, 1107-64; 1301-68; 1451-1511. — *El.*, 699-746. — *Heracl.*, 748-83; 892-927. — *Herc. fur.*, 637-700; 763-814. — *Hipp.*, 525-64; 732-75. — *Iph. Taur.*, 1089-1150. — *Ion*, 1048-1105. — *Med.*, 410-45; 627-62; 824-65; 976-1001. — *Troad.*, 799-859; 1060-1122. — *Rhes.*, 224-61.

4. V. 128-85; 526-60.

5. *Aj.*, 172-200; 214-62. — *El.*, 472-515. — *Trach.*, 497-530.

6. *Andr.*, 766-801. — *Bacch.*, 519-75; 862-911; 977-1023. — *Hec.*, 629-56. — *Heracl.*, 353-80. — *Herc. fur.*, 107-39. — *Suppl.*, 955-89. — *Iph. Aul.*, 543-89; 751-800; 1036-97. — *Ion*, 452-508; 676-724. — *Cycl.*, 41-81. — *Or.*, 807-43. — *Troad.*, 511-76. — *Phœn.*, 638-89; 784-833.

7. V. 887-906.

8. V. 1040-93.

9. *Œd. Col.*, 1751-79. — *Trach.*, 971-1003. — *Phil.*, 1445-71. — *Hipp.*, 176-266.

10. *El.*, 1301-56. — *Iph. Aul.*, 1-48; 117-63. — *Med.*, 97-130; 1389-1414. — *Troad.*, 782-98.

11. V. 526-48; 887-900.

12. Cf. ROSSBACH und WESTPHAL, *Griech. Metrik.*, 1868, I, XLVIII.

13. V. 545-60.

ticas [quamvis minora quædam sparsaque exempla inveniri queant [1]] in usum apud nostrum non venire, cujus tamen plurimæ sunt catalecticæ [2].

Quid postea? Plerique Promethei numeri tales sunt qui τονῇ non distinguantur, ionici scilicet puri vel ἀνακεκλασμένοι, dactylo-epitriti, et dochmiaci; inde igitur cum ceterarum fabularum metris non congruunt eadem τονῇ diversissime variatis : quæ ratio jam a minoribus natu tanquam pervetusta spernebatur.

Quæ autem critici quidam inter alias caussas jecerunt [3], Prometheo videlicet inesse nonnulla singularia quia ab ejus filio Euphorione retractatus fuerit, quo felicius in dramaticum certamen deferretur, ea mihi subtiliora perinde ac difficiliora videntur quam ut indubitate dijudicentur. Superquam quod in tragœdia nostra certissima aliquot antiquioris artis vestigia remanent, velut stasimum unum ex tribus stropharum paribus conflatum [4], et ii sunt dochmii quibus Æschylus præcipue utebatur [5], et ipsa Titanis monodia portiones habet æquabili compensatione, pro Æschyleo instituto, dimensas [6], et nusquam patet vim operi fuisse illatam a scriptore cui mens non divinior fuerit, in medio ista omnia relinquo. Unum hoc teneo singula pervolventi confitendum esse Prometheum, si quis de argumento, machinarum usu, chori partibus, colloquiis, oratione, re chorica et metrica diligenter reputare velit quam aut maturius ingenium significent, aut propioris ætatis signa servent, cum superstitibus reliquis Æschyli fabulis non conferri posse, neque eadem norma esse æstimandum. Cum igitur a disciplina ratione, quam in isto opusculo delineare statuerim, certissime digrediatur, et posteriorum operibus natura sit propior, hisce criticis explanandum relinquo qui de Sophoclis Euripidisque choris disputare destinaverunt.

1. Vid. *Pers.*, 114-32, et passim in tertio stasimo; — *Suppl.*, 144-66.
2. *Ag.*, 1007-16. — *Choeph.*, 602-22; 800 sqq. — *Eum.*, 321 sqq.; 490 sqq.; 916 sqq.
3. Vide in primis J. Oberdick, *Ien. Litzt.*, 1876, art. 380.
4. V. 397-435.
5. Ubique fere occurrunt hæ dochmiacæ formæ : ∪∪∪ — ∪ —; — ∪∪ — ∪ —; ∪ — — ∪ —.
6. Numeros nudos scribo : 5 + 8 + 13 (5 + 8) + 13 (5 + 8).

CONCLUSIO

Nunc hujusce libelli conclusionem adgredior. Mihi sumpseram ut singula exsequerer, nihilque inexploratum paterer; itaque, omnibus diligentissime excussis, hæc summa meæ rationis est :

I

Iambici trimetri coryphæi sunt. Verum tamen fieri potest ut, jam antea choro in hemichoria diviso, procedentibusque simul aut vicissim in scenam binis actoribus, parastates alternis ducis personam gerat, et deuteragonistarum vel tritagonistarum adventum denuntiet (Septem, 309-74, 846-60). Minus sæpe duodeni deinceps choreutæ viritim trimetros dictitant, ubi deliberantium accusantiumve faciem referunt (Agam., 1344-71; Eum., 585-608), aut commum præsumunt et prosequuntur (Agam., 1047-1113).

II

Trochaici quoque tetrametri, nisi quod semel Atossam consalutantium concentus fit (Pers., 155-8), semper, ubi in sermonem insumuntur (Pers., 159-248; Agam., 1649-73), iambicorum trimetrorum vice funguntur, iisdemque choricis legibus tenentur.

III

1° Anapæstica systemata nullo antistrophico circuitu circumscripta simile quiddam trimetrorum habent, et ad narrationes confabulationesque pertinent. Itaque ab coryphæo recitantur, quoties quis sit chorus et cur adsit proclamat (Pers., 1-64; Suppl., 1-40; Agam., 40-103), aut, sub episodiorum finem et in choricorum initiis, sive Deos precatur, sive protagonistas nuntiat dein adloquitur, reliquosve choreutas compellat, vel sententiose aliquid

profert (Pers., 140-54, 532-47, 623-32, 918-30; Suppl., 625-9, 966-79; Sept., 822-31, 861-73, 1054-65; Agam., 355-66, 782-809, 1331-42; Choeph., 476-8, 719-29, 855-68, 1065-76; Eum., 307-20).

2° Quandocumque anapæsti antistrophica ratione componuntur, penes coryphæum parastatenque vicibus sunt (Sept., 877-8, 886-7, 1066-72, 1073-78; Choeph., 1007-9, 1018-20); attamen est ut in zygorum principibus reponantur (Choeph., 306-14, 340-4, 372-9, 400-404). Deinde semel, sub Eumenidum exitum (1032-47), ab Minervæ ministris canuntur, de quarum numero non admodum constat.

3° Ubi præterea lyricis metris immixti sunt (Pers., 931-1001), quoniam de propria natura desciverunt, in melicorum speciem chorique partes transeunt.

4° Denique cum iterantur, ad stœchorum duces, ut mos est in commis cantum dividi (Agam., 1459-61, 1494-6, 1548-50), aut ad chorum universum (Eum., 1035, 1038, 1043, 1047) transferuntur.

IV

Melica autem diversissime canuntur, prout liberioribus pedibus nulla antithetica lege constricti decurrunt, aut per antistrophica distribuuntur.

1° Si quando ἀπολελυμένα sunt, quod nunquam evenire solet, nisi symmetra cantatorum compositio turbatis rerum tragicarum momentis prohibetur, et chorus σποράδην in orchestram irrumpit, ad singulos vel ad paucos choreutas pertinent. Itaque dividua in duodenos (Sept., 78-107), aut in ternos, qui præcipuus est Furiarum numerus (Eum., 255-75), cadunt.

2° Quoties melica, etsi non antistrophica, ipsa reiteratione antitheticorum speciem præbent, universi chori concentum expostulant (Pers., 662, 671; Suppl., 117-21 : 128-32, 141-3 : 151-3, 162-6 : 176 sqq; 890-2 : 899-901; Agam., 1459-61, 1494-6, 1548-50; Choeph., 789-93, 806-11, 827-30, 942-5, 962-4; Eum., 329-32, 354-9, 372-6, 1035, 1043). Sed in Eumenidibus bina ephymnia sunt longe ampliora quam ut epiphthegmaticorum locum teneant (778-93, 837-46); cum igitur episodicarum cantilenarum sedem amplitudinemque habeant, paululum ab intercalarium versuum natura deerrant, et ab tribus Furiis cantantur, tanquam potius ad agendas quam ad ornandas res accommodata.

3° Ubi μέλη adeo conflantur ut inde chorica exsistant, non eodem

omnia modo, sed pro syzygiarum numero argumentique temporibus concinuntur.

a. — Cantica ex binis stropharum paribus collata, dum chorus proscenio adpropinquat, et rei scenicæ immixtus actoris personam ipse gerit, ad zyga spectant (Suppl., 418-37). Quod si vero tragicissimo eventu choreutæ conturbantur, sed, vacua manente scena, ipsi in orchestra perstant ardentissimosque animorum motus lyrice non autem tragice exprimunt, in hemichoria digeruntur (Choeph., 935-72).

b. — Quoties cantica ex tribus syzygiis colliguntur, semper in stœchos cadunt (Pers., 548-97; Sept., 110-80, 287-368); inter quæ adnumerandi sunt Persarum v. 417-630 qui, licet episodio et colloquio inserti, nihil sermonis retinent et soli per se stant. Sed excipias velim primam Eumenidum cantionem (143-77) quæ, propter rei scenicæ insolentiam et Furiarum permotionem, non nisi a stœchorum ducibus canitur.

Tripartita carmina quibus ephymnia adduntur stœchorum quoque cantum poscunt, sed intercalares versus ad summam choreutarum attinent (Suppl., 111-75; Choeph., 783-837; Eum., 321-96).

Ubicumque ternis stropharum paribus subjungitur epodus, antistrophica stœchis, epodicum autem additamentum universo choro delegatur (Pers., 633-80, 852-906; Choeph., 22-83). Est tamen cum epodus, post rerum orationisque conversionem, singulis unius stœchi cantatoribus (Agam., 475-87) aut, propter choreutarum perturbationem concursationesque, duodenis viritim committi potest (Suppl., 776-835).

Si forte tribus syzygiis quarta etiam, sed immutata rhythmorum percussione, adjungitur, extremum hoc stropharum par pro epodo est, et ab individuo choro cantatur (Suppl., 631-709). Denique cum carmen ephymniis simul et quarta syzygia aliis numeris defluente producitur, nihil ex usitatissima norma decidit : tria stropharum priora paria stœchorum sunt; ultimum et epiphthegmata universi chori (Eum., 321-96). Hæc autem omnia melica in eas tragœdiæ tempestivitates quadrant ubi jam intricatur fabula et cientur agentium spectantiumque affectus.

c. — Quotiescumque vero nondum impeditur fabulæ nodus, sed tacet proscenium, aut ab aliquo graviore actu paululum cessatur, et intermittitur querelarum luctusque necessitas, semper canentium summa usurpatur. Quæ quidem cantica, præter unum quod est in Agamemnone (975-1033), stropharum copia

uberrima sunt, et quattuor aut potissimum quinque et sex etiam syzygiarum finibus circumdantur (Pers., 65-139; Suppl., 41-110, 524 99; Sept., 720-91; Agam., 160-257, 681-781; Choeph., 585-651; Eum., 490-565). Istorum utique carminum specimen quoddam est vetustatis et mythici ævi documenta evolvere, vel circa quæ ad mores pertineant morari, et adeo poeticæ orationis impetu ferri ut sæpissime sejuncta stropharum paria continuent.

4° Ubi autem melica non ipsa per se defluunt, sed actorum verbis ita intermiscentur ut sibi vicissim scena orchestraque respondeant, chori partes adhibentur. Qui quidem commi cum ardentissima voluntatum rerumque scenicarum commotione congruunt, et concitatissimos quoque numeros præsertimque dochmiacos præoptant. Interdum binas syzygias continent, et ab zygorum ducibus canuntur (Suppl., 736-59; Sept., 686-708); nonnunquam tamen ex tribus stropharum paribus colliguntur, et stœchis permittuntur (Pers., 256-89; Suppl., 347-406; Sept., 203-41). Ceterum omnes isti commi ita episodio interponuntur ut actorum trimetri, quamvis antithetice numerentur et ordinentur, tamen confabulationis decursum confabulantiumque mores servent. Est præterea cum lyrica etiam in scena usurpantur, aut unaquæque stropha ex continenti scenæ orchestræque cantilena constat. Ista vero triplicia cantica, sive solitaria (Suppl., 843-901; Eum., 916-1020), sive amplioribus carminibus admixta (Pers., 931-1001; Agam., 1114-77; Choeph., 423-55), semper stœchos manent.

Noli igitur putare stœchorum cantum in casu esse atque fortuna; ordinum dignitas sensim augebatur, et numeris omnibus absoluti erant quotquot choreutæ aristerostatarum locum obtinebant. Itaque stropharum implicatio et spatia mutabantur, prout ad primum vel ad medium versum deferebantur. Ad hoc sæpissime cantus ab protostatis [1] incipit et prior cantici syzygia amplissima est, simulque significat unde chorus ad canendum compellatur. Nonnunquam quidem fit ut statæ choreutarum vices mutentur, et extremum stropharum par aristerostatis detur : verum non pugnant ista inter se. Sive lyricorum vehementia in incremento est, sive contra gradatim imminuitur, hæc semper melicorum portiuncula aristerostatis servatur quæ maxime in rem scenicam confert. Horum enim est quo statu sit res tragica denuntiare, et quasi prologum explicare (Choeph., 22-41); actores ad agendum susci-

1. De hac voce vide J. Sommerbrodt, *Scænica*, 1876, p. 5 sqq.

tare (Choeph., 819-37); pro universis decernere (Eum., 916 sqq.); maximos deos precari (Sept., 110-26); protagonistam aliquem precibus urgere, et ad miserationem suî mollire (Suppl., 347 sqq); felicia hospitibus exoptare (Suppl., 631 sqq); aut denique extrema sequi, et fortia capessere (Suppl., 843 sqq). Prorsus ut voluntatum constantia ita infirmitate præstant aristerostatæ, et modo animorum ferocitate insigniuntur, modo etiam ad vehementissimos motus faciliores sunt, semperque rebus tragicis ita afficiuntur ut, quæ quisque optime cordatus inde cogitare vel sentire possit, ea ipsi egregie reddant et effingant. Neque chori unitati officit membrorum diversitas. Hæc quaternorum hominum conjunctio proprios mores servat, minusque præstabilem concordiam habet quam si omnes concinant. Interdum quoque inter se aliquantulum discrepant. Itaque, cum vel unitas partitionem sustineat, neque a natura neque ab arte alienum puto chorum nonnunquam discissum fuisse et in præcipuos ordines disjunctum, unde in consensu disparitas levissima nasceretur, et unam ex pluribus concretam esse personam appareret, simul et ex dissimilioribus moribus mixtam et temperatam. Dissonare aliquoties multos aut consonare dramaticum est illud et vitæ instar repertum.

5° Sed aliquando evenit ut poeta stœchos vel zyga ampliores esse partes putet; itaque ea chori membra attingit ultra quæ nihil disjungi possit. Singularem cantum usurpat, quoties quæ recentia ex tragicis calamitatibus choreutæ senserint, prohibere vult ne cito obsolescant. Dum enim sensim per singulos cantatores affectus verbaque mœstissima communicantur, producitur crescitque malorum percussus. In threnis igitur funebrem mortuorum cantilenam par est non choricorum ritu concini quæ magnificentissimus rerum hominumque apparatus comitetur, sed de more singulorum querelas exsuscitari quos defunctorum desiderium teneat (Pers., 1002-76; Sept., 888-960).

6° Denique Æschylus aliquando ita commos distinguit ut choricorum species impediat et misceat, velut in Agamemnone (1407-1576) et in Choephoris (306-478). Sed in ipsa particularum implicatione singula perspicienti certum est ea quæ supra collegerim lyricorum præscripta servata fuisse, et nil nisi solitas melicorum rationes aut alternatas fuisse aut continuatas. De Supplicum autem exodo (1018-74) quoniam singulare aliquid præ se fert et παραχορηγήματος adjunctione et cantantium discidio res chorica turbatur, nihil secundum aut legem aut consuetudinem illustrari potest.

Nunc vero in universum prospicienti pro manifesto habetur artem Æschyli choricam et simplicitate et diversitate præcellere. Nam, cum in plerisque fabulis melica magnam partem obtineant, sequitur ut choreutæ in diversissimos globos diducantur, ne omnia cantica eadem canentium compositio prosequatur. Immo rerum gravitas tragicique eventus ipsa chori divisione declarantur. Chorus individuus manet tum cum carmina lyrica potius quam dramatica cantat; in hemichoria dimovetur ubi quasi duo discordantium paria componuntur; in stœchos scinditur plerumque, quoniam hæc est totius divisio quæ distinctionem simul cum unitate conjungere optime possit; in zyga segregatur quoties orchestra, ut ita dicam, operosa actuosaque fit et apud actores plurimum pollere gestit; denique viritim conciditur, ubicumque aut hominum discordia aut singulorum animorum vehementissimi affectus effingantur oportet. Hæc autem discrimina, hos gradus omnes tragœdiæ præbent. Sed disciplinam suam tragœdus noster non ex principiis consummavit : inventa doctrina semper et usu excoluit. Si quis enim ejus fabulas ex ordine pertractare volet, non eum fallet poetam in Orestia quasi fastigium artis suæ captavisse. In hac trilogia cum brevissima quædam, tum uberrima multa sunt cantica; stropham antistropha sua non ferme statim sequitur; actorum cantu aut oratione chori syzygiæ nonnunquam interscinduntur; sæpe antistrophica longo spatio sejunguntur; ita etiam incidit ut in eodem stropharum pari aut scena orchestraque vices mutent, aut etiam scenæ orchestra respondeat. Ad summam igitur in ultimis ætatis suæ annis multa sibi permisit Æschylus, sed licentiam legibus temperavit, eamque rei choricæ varietatem nactus est ut puriorne et severior an lascivior sit incertum reliquerit.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV Nonas jun. ann. MDCCCLXXXXI,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.

INDEX

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD.

COULOMMIERS. — IMPRIMERIE PAUL BRODARD.